TACHE
OPERA


VERSANTUR HIS TRIBUS

# OTTONIS TACHENII

## HIPPOCRATES CHYMICUS,

Omnibus à mendis vindicatus.

*IN QUO*

NOVISSIMI VIPERINI SALIS Antiquissima Fundamenta simul, & ACIDI ALCALIQUE NATURA fusè ac dilucidè explicantur.

*HUIC NOVISSIMÆ EDITIONI.*

Accessit geminus INDEX: unus Capitum, Alter verò rerum memorabilium lectori pernecessarius.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud JOANNEM D'HOURY, ad insigne D. Joannis, sub extremo Pontis-novi, propè supremum Cœnobium RR. PP. Augustiniensium.

M. DC LXXIII.
*Cum Privil. Regis & Approb. Facul. Par.*

Me legat invitus nemo, non ſcripſimus illi :
Huic ſcripta eſt, ſi quem pagina noſtra juvat.

AMPLISSIMIS
SPECTATISSIMISQVE
Viris celeberrimæ facultatis
PARISIENSIS
Doctoribus Medicis

BIBLIOPOLA

S. D.

*Aggredienti mihi huius Operis editionem alteram (cum reuerâ prior verborum additione, detractione, transiectione, ac commutatione à Lectoribus mendosa, & quasi monstrosa deprehendatur) haud diu deliberandum fuit, quibusnam eam magis dicarem: Quam primùm autem*

*manum ad opus admouere mecum constitueram; illicò vestra sese obtulerunt amplissima nomina, vt pote quæ ab vltimis celeberrimi Gymnasij primordiis, Medicam dignitatem summa cum humanitate coniunctam perpetuò à decessoribus acceptam, summopere maioremque in modum exornant. Quamuis enim vniuersæ de sanitate doctrinæ seueriores meritò habeamini Iudices, ex præscriptione tamen vetustæ consuetudinis, omnes quosque in Veritatem Medicam sedulò inquirentes, ad eamque studia sua vnicè collimantes, protegere, amplexari, fouere, item beneficiis promouere, in dies magis magisque studetis, cò nimirùm attendentes, vt Sacræ veritatis ventilatio semper sit non tantùm modesta, sed etiam certa & firma, cuiusmodi apud nostrum Authorem Lectoribus vbique occurrere videtur. Idcirco cum*

*in lucem publicam ſit proditurus hic liber, quò feliciori fato gaudeat; prima mihi cura fuit, vt veſtris id fiat benigniſſimis auſpiciis: proxima verò eſt, vt paucioribus quam antehac erratis ac mendis, in litteratorum manus veniat comitatus. Quam plurimis etiam Scientiæ ſtudioſis non indignus videbatur, vt pro argumenti dignitate, Authoriſque in eo tractando ſolertia, edatur, hoc eſt, quoad fieri poteſt, elegans ac emendatus; illud autem conſtabit maximâ, vt ſpero, ex parte factum eſſe, ſi vtriuſque editionis (id eſt Venetæ & noſtræ) libri inter ſeſe conferantur. Accedit & illud præterea, quod ad libri finem ſingulorum capitum indicem adiecimus. Verùm ne officio fungens, officioſus nimis videar, verba facere amplius nolo; ſolummodo D. Opt. Max. ſupplex rogo, vt vos Reipublicæ Medicæ in mul-*

*tos annos incolumes conſeruet. Hæc ſunt vota,*

Splendidiſſimæ veſtræ
ACADEMIÆ
addictiſſimi
I. L. D'HOVRY.

AD

# DOCTISSIMVM AVTHOREM,

*Verè Philoſophum per ignem & aquam.*

I.

TACHENIVS.

Per anagr. demptâ aſpiratione

*At vinces.*

vel

I *hac tenus*

Quis neget antiquam Chymiam, ſanctumque repertum,
Diuinũ Hippocratem quam coluiſſe ferunt?
HAC iter ad ſanctæ Naturæ arcana pateſcit,
Hac ſine vix dignum laude parabis opus:
Hac ſine nil Medicus languenti in corpore præſtat,
Hac ſine nil magni Pharmacopola dabit.
I TENVS HACCE via, Sophiæ docet illa labores
Nec labor abſterreat, terrave monſtra ſimul,
Impiger excutias Naturæ arcana latentis;
Naturæ myſtes hic docet almus iter.
Sudor in ingreſſu, fateor, cum tẽpore VINCES
Atque manu Heſperidum carpere poma datur.

II.

Igne, et Aquâ, Terrâ, Chymiſta atque aere prægnans,
Non poterit partum non peperiſſe bonum.
Quattuor hęc etenim centro cõcludit in vno,
Vulcano, ingenio, dexteritate manus.

III.

Chymicus arte ſuâ claudit medicamen in vno
Centro, à quo morbum tota caterua fugit.

ã. iiij

Quid Iuuat innumeras Medicorum audire cateruas,
Vnica cum morbis sit Medicina satis?
Hanc vbi decumbēs corpus persenserit intus
Viribus assumptis sit rediuiuus homo,
Ingenio hanc raro cunctos, doctissimus Otto
Artis Apollineæ lausq; decusq; docet.

I V.

Si veram reseras portam Chymista, repostos
Thesauros reperis, pauperiemq; fugas,
Nec modo pauperiem, poteris quoq; pellere morbos:
Diuini digiti qui populantur opus.
Clauem quâ portam reseras doctissimus Otto
Tradit, & ingenti te instruit arte suâ.

V. Otto Tachenius
Per anagr.
*O Titan huc esto!*

Hactenus in tenebris Iacuerũt dogmata vera,
Vmbram pro vero quid tenuisse Iuuat?
Sed nouus Adriaco qui surgit TITAN Olympo
Lumine Cimmerias discutiet tenebras,
Candidus ô quisquis veri penetralia quæris
HVC ESTO radijs TITAN vbiq; ferit.
Spargere si pergas orbi tua lumina TITAN
Cantabit radians lumen vterq; polus.

V I.
*Ad aureum libellum.*

Quò feror? en mecum doctissime vade libelle;
Si mecum vadas non ego solus ero;
Sic mecum vadet doctissima turba sophorum,
Quos omnes paruo claudis in hoc opere.

*Profundo naturæ mystæ, amico candido sic ouans applaudit.*

Nicolaus Zaffius, Med. D.
Anno quo TV IesV LVCeM. Das?

## AD
## LECTOREM CANDIDVM,
## ET
## *Antiquissimæ Hippocraticæ Doctrinæ studiosum.*

# PRÆFATIO.

Hippocrates, fulgentissimum Medicinæ lumen, Diuina sua oracula ænigmatibus obuelauit, & præcepta in omnibus doctrinæ suæ operibus laconicè retulit; adeò vt obscura eius breuitas, & eloquia, à scriptoribus in varios sensus distorta sint, quorum quædam Galenus mirâ artis solertiâ, ac venusto ordine, in capita disposuit; quædam verò, & præsertim AVREVM LIBELLVM DE DIÆTA, mysterijs repletum, in-

*Veterum scripta ænigmatica sunt velut Apollinis oracula.*

tacta reliquit. Diuinus enim Senex, hos solis Chymiæ cultoribus delegauit, quæ ars olim, & fortassis Hippocratis sæculo, *Naturalis Philosophia* appellabatur. Quis enim Senis rarissima eloquia, aut ignem mollem ibidem, mente percipiet; nisi in occulta hac Hippocratica naturali doctrina sit exercitatus? Attestante id Raimundo *a*. *Vt cunque logicus*, inquit, *habeat profundum ingenium* argumentabile, aut naturale; *de rebus extrinsecis tamen nunquam per aliquam rationem, quæ venit ad sensum, poterit directè cognoscere, nec iudicare, quomodo semen in terra pullulet, crescat & colligat fructus: nisi cum doctrina experimentali, prius intrauerit in NOSTRAM PHILOSOPHIAM NATVRALEM, & non sophisticam sermocinalem illam, quæ nascitur logicis, per diuersas præsumptiones phantasticas: qui cum prognosticationibus sequelarum, contra vim na-*

a Testam. cap. 26.

*turæ, faciunt multos pertinaciter errare in ſophiſticatione mentis. Quia per noſtram mechanicam ſcientiam, intellectus eſt rectificatus vi experientiæ, reſpectu oculi & veræ notitiæ mentalis, imò experientiæ noſtræ ſtant ſupra probationes phantaſticas concluſionum, ideoque nec eas tolerant: ſed omnes alias ſcientias, oſtendunt viuaciter intrare in intellectum. Vnde deinceps intelligimus per naturam intus illud, quod eſt, & quale eſt. Quia per talem ſcientiam intellectus ſtat denudatus ſuperfluitatibus & erroribus, qui ipſum ordinariò remouent à veritate, propter præſumptiones, & præiudicata, credita in concluſionibus. Hinc enim noſtri, ſe direxerunt ad intrandum per quamlibet ſcientiam, in omnem experientiam, per artem verò, iuxta naturæ curſum, in ſuis VNIVOCIS PRINCIPIIS.*

*Spagyria enim ſola eſt ſpeculum veri intellectus: monſtratque*

*tangere & videre veritates earum in claro lumine; Ideoque habet tabula ſmaragdina. Per hoc genus demonſtrandi, fugiet à te, omnis obſcuritas, &c.*

Huius antiquiſſimæ artis fundamenta, indigitat Hippocr. in ſuprà iam citati libelli principio a *Conſtituuntur*, inquit, *tum animantia alia omnia, tùm homo ipſe ex duobus, differentibus quidem facultate, concordibus vero, & commodis vſu, IGNE & AQVA. Hæc ambo ſimul ſufficientia ſunt, tùm alijs omnibus, tùm mutuo ſibi ipſis; vtrumuis verò ſeorſim, neque ſibi ipſi, neque vlli alteri ſufficiens eſt, &c.*

a lib. 1. de diæta.

Hunc ignem, mollem nimirum, & aquam coagulabilem, hactenus obſcura, nunc in hoc compendio, ad oculum oſtendere decreui, ſolius veritatis agnoſcendæ ſtudio, quæ hoc ſæculo, ab oſoribus Hippocraticæ doctrinæ, miſerè premitur: attamen opprimi illam impoſſibile; adeo eſt potens, inexpugnabilis, ac trium-

triumphans supra res totius mundi omnes, quod etiam sacris *a* comprobatur. *Zorobabel* enim ait *Forte est vinum, Fortior Rex, fortissimæ mulieres, sed supra omnia vincit veritas; omnis enim terra inuocat veritatem, cælum ipsam benedicit, hæc valet, vincit & viuit in æternum* &c.

a *Esdr.li 3. ca. 3, & 4.*

Multi quidem (vti varia sunt hominum ingenia) varie æstimabunt, vt in lucem profero, quod Natura solis Philosophis, labore & studio sudantibus manifestum reddere decreuit. Raimundus enim *b* ait: quod *Magistra & Domina Natura, ei comparuit & flendo dixit: Heu, quidnam modo faciam, quoniam instrumenta mea mihi auferre & tollere conantur, & secreta mea deprædari, & detegere volunt,* &c. *ob id mandatum suscepimus, quod sua instrumenta debeamus occultare, & custodire à manibus inimicorum suorum,* &c. Hæc Naturæ

b *Theor. ca. 1.*

instrumenta profundus Lullius, ab Hippocr. sic edoctus, profundè occultat, & duobus saltem dictionibus indicat scilicet E N-TIA REALIA.

Ita etiam Basilius Valentinus ea abscondit sub vocibus barbaris, ASA nimirum & PHALAIA: imò Naturæ mechanica instrumenta, quæ Hippocrates ignem & aquam, hic alibi GLADIATORES [a] appellat; & quemadmodum Hippocr. hæc sub variarum artium operatione, paucis saltem discipulis Pythagoricorum more indigitat; Sic Basilius magistrum sequutus, sub cereuisiæ coctione [b] & alijs rusticis laboribus, ignota fieri voluit.

Paracelsus autem, vulgaria contemnens, licet ab Ecclesia hæreseos damnatus, cum Hippocr. tamen in Antiquissima Doctrina consentit, dictaque naturæ instrumenta, sub diuersorum spirituum nominibus [c] in scenam produxit.

[a] In 12. clau.

[b] Vid. currum Triumph. Antim.

[c] spiritus alter trahit, alter pro-

Reliqua turba antiquorum Philoſophorum, dicta Architectonica inſtrumenta, ſub ficto nomine RE-BIS, (quaſi binas res oſtenderent) abſconderunt: hinc natum eſt illud.

*trudit, idem autem vterque facit, &c. Hip lib. 1. de diata.*

*Eſt Rebis in dictis, rectiſſima norma figuris.*

Item alij ſub alijs velaminibus, &c.

Quibus reſpondeo, quod non ſolum hæc, ſed alia quam plurima perpendi, & altâ mente reuolui: ab hoc autem meo inſtituto (ob rationem infrà dicendam) auocari, nullo modo poteram; præſertim dum Reipublicæ, cui omnes fortunarum noſtrarum maiorem partem debemus, prodeſſe puto: Hæc nimirum naturæ inſtrumenta, dum in lucem profero, Methodum certam & apertam, hactenus à paucis viſam, exploſis omnibus ambagibus, & fallacijs, ſimul oſtendo; adeo vt ALCHYMIA antiquiſſima, nobiliſſima & ars neceſſaria, ab ignaris & rudibus

oſoribus, ſine calumnijs, tuta ſubſiſtere, & illiteratorum, flagitioſorumque hominum latratus impoſterum euitare poſſit.

*Nullius viri boni famam hic laceſſo.*

Quid enim frequentius à vaſtiſſimis illis gigantibus audiatur, non ſolum in prænominata mundi lumina, ſed etiam, qui libertatis & pietatis memores, difficultates, quas antiqui (Numinum inſtar mihi ſemper fuêre colendi) poſuerunt laborum aſſiduitate, & meditatione, obſcuritates aperire ſtudent; quàm deſertores, Empiricos (ad experientiam tamen inuiti confugiunt) præſtigiatores appellari: imò minas addunt, apud imperitos (quod miratus, tantam arrogantiam cadere poſſe in tantillum ſubiectum) ſe iam iam calamo, Chymiæ vanitatem mundo manifeſtare; qui tamen antiquiſſimam Dominam nunquam cognouerunt, nec quidem in limine ſalutarunt. Proh! quàm male intelligunt noſtrum Galenum, cuius ſequaces ſe eſſe glo-

riantur, docentem *a*. *In omni re*, inquit, *primum esse artificem oportere, tunc opus aggrediendum.* Discrimen sane magnum est, inter peritiam faciendi experimenta, & inter habitum inania cassaque verba profundendi. De his olim Heraclitus: non præstat inscitiam suam abscondere, sed oportet eam (vt ait Plutarchus) in medium proferre, & medicinam ei adferre.

a *in li. Hipp. de aliment. comment. 3. Text. pharmacia.*

Longè aliter de ea viri eruditi, quibus animus præconceptis, & vanis opinionibus obfuscatus non est, sentiunt. Scribit enim Mathiolus *b* ad Andream de Blau: *Neminem medicum absolutum esse posse, imò ne mediocrem quidem, qui in CHYMIA non sit exercitatus.* Sed, quid vrget Doctorum virorum testimonia hîc adducere? ipsa natura, pro ea pugnat, quæ ne quidem sine hac arte, seminis granum producere potest, vt demonstrabitur. Huius antiquissimæ doctrinæ Hippocrates erat

b *li. 4. Epidem.*

callentiſſimus, vt patebit, eamque commendat veris medicinæ cultoribus: imò ſine hac, hoſtes & oſores artis irrationalium animalium more viuere deberent: domum enim, in qua ab aeris iniuria ſeſe defenderent, non haberent; calx nimirum & lateres deficerent pro ædificatione, nec vitrum pro feneſtris, neque ſpecula, neque perſpicilla, oculis ſenum tam neceſſaria auxilia: Sed ex quo lucellum ſperarent, niſi per Chymiam minerarum liquefactio, & metalli ſeparatio inventa fuîſſet? Hac arte deficiente, deficeret Typographia, natura ſponte nunquam linteamina produceret, vt neque chartam, neque atramentum ad imprimendum aut ſcribendum, vt neque colores quorum infinitum numerum neceſſaria & nobiliſſima hæc ars prôduxit; vt cinnabarim, vltramarinum, minium, ceruſſam, purpuram, aurum muſicum, aliorumque colorum temperatura, ab ea pro-

dijt. Sed quis omnia beneficia pro humano vſu, ab hac arte exorta enarrare poteſt?

Tota Septentrionalis plaga, vt & Patria mea, huic arti quam plurimum debent, conficitur ibidem potus ex hordeo, quem cereuiſiam appellant: Hordeum autem, vt docet Galenus, parum coctum ventoſitates efficit, oppilationes, ſi meliuſculè bullierit: Antiqui autem noſtri, huius artis ope ab Hippocrate edocti, in ipſo hordeo naturæ inſtrumenta excitarunt, & in nouum ſemen tranſmutarunt, quod non amplius hordeum, ſed maltham a nunc vocant: Maltham contritam coquunt, & iterum excitant interna inſtrumenta ad alterationem; hæc actio vocatur fermentatio, quia feruere videtur. Hac methodo, Hippocrate ſic docente, fit ex eo ſaluberrimus potus.

*cereuiſia.*

a *Braſſin vocant Galli.*

Sed quid dico de cereuiſia? vuarum ſuccus, per ſe nunquam fieret vinum, niſi ars concurrē-

*vinum.*

ret, & instrumenta ad operandum in illo excitarentur. Sic neque panis, hac arte deficiente, fieret vnquam, nisi instrumenta naturæ in farina, proportionato igne externo & aquâ, excitarentur; cum verò in inuicem agere incipiunt, ex nouæ materiæ defectu, massa primò acescit, & paulatim putrescit, tandem verminescit: Ars vero instrumentorum operationem retardat, vel impedit, vehementi calore, aut frigore, opusque ab artifice ad vitam sustentandam mortalibus necessariam, ad finem conducitur.

*panis.*

At non solum alimenta; sed neque medicamenta salubria & magnæ virtutis, hac arte carere possunt, quod inter alia Theriaca docet; nisi enim in eo composito, infinita naturæ instrumenta simplicium, per fermentationem in vnum coirent, & sic quiescerent, inutilis plane reperiretur: ait enim Auicenna *a*: *duplicatæ esse virtutis medicinam, quæ fere*

*a lib. de viribus cordis pract. 2. cap. 4.*

*mentationem sit passa.* Hac de causa Inuentor, in Chymicis operationibus versatus & doctus, addit vinum, vt promptiùs opus perficiatur: per fermentationem enim transmutantur naturalia quæque, vt de vuarum succo, cereuisia, & pane notum est.

Conuincit, *aiunt*, ratio, & ipsa veritas, hæc omnia ita se habere; sed nouitates in Philosophia & Medicina, quæ agitatis; mineralia & metallica remedia humanæ naturæ admodum contraria tractatis, antiquitati ignota; hoc est quod impugnamus.

*Obiectio.*

Mundo introducere nouitates impossibile est, sed introducta à creatore, perficere, alterare, permiscere & componere docuit Hippocr. *a* & arti concessum est. Sic linum, fit per varias alterationes charta; gramen per varias alterationes fit chirotheca, & etiam gluten; succus florum per alterationes fit mel, & hoc per alterationes hydromel (Lithuanis

*Responsio.*

a *nihil fit quod prius non erat, verum permixta & discreta alterantur lib. 1. de diata.*

potus suauissimus, vino Hispanico nihil cedens); & tandem acetum; quod dein facile in aquam elementalem reuertitur. Frumentum, per alterationem fit aqua ardens; varia simplicia, in vnum congesta permixta & per fermentum alterata, fiunt Theriaca. Sic post Hippocratem, cassia, sena, mechoacanna, cremor tartari, & infinita alia sunt reperta, quorum ille non meminit; non autem noua, studio saltem & longâ experientiâ, in vsum, non sine fructu vocata sunt; adeò vt, cum Sapiente exclamare audeamus: *nihil noui sub sole.* Quicquid ergo Hippocraticus inuenit & obstetricia manu perficit, illud à principio fuit; oculi autem vestri non ita erant aperti, vt cognoscerent ea. Sed huic obiectioni, admodum eleganter respondet Stephanus Pasquier.

*Nihil sub sole nouum: nec valet quisquam dicere. Ecce hoc recens est. Eccles. cap. 1. v. 10.*

*Dicitur esse nouus nobis Paracelsus, ob idque*
*Crimen, in obscurum pellitur exilium:*

*At nouus Hippocrates, nouus est Chrisippus, & ipsi*
*Romæ Asclepiades, tempore quisque suo.*
*Qui noua damnatis, Veteres damnetis oportet:*
*Aut ista nihil est, in nouitate noui.*

Quoad mineralia & metallica remedia, neque hæc nouiter in medicinam sunt introducta, sed ab antiquis. Theriaca enim compositum antiquissimum absque calcitide planè inefficax esset. Alkermes, recipit lapidem lazuli & aurum, metallorum perfectissimum, & nobilissimum. Idem Mesue composuit pillulas ex eodem lapide, in melancholia & insania non inutiles, quas etiam recentiores, auro vel argento obducunt. *Aurum.*

Apud Lithuanos in ciuitate Vilna, noui Argenti-fabrum hominem robustum, celibem, illiteratum, adeo tamen fælicis memoriæ, vt in lingua sibi vsitata, quicquid semel audiuerat, de verbo ad verbum ferè recita- *Argentum.*

re nosset. Hic à iuuene, vsque ad 47. annum tunc temporis, quotidie (ab assuetudine existimo) sumpserat parum de argenti limatura, inter laborandum, sibique firmiter persuadebat huius vsum sibi memoriam auxisse.

*Gemmæ.* Smaragdi, rubini, hyacinthi, nonne intrant in varias compositiones, quas cordiales nominamus?

*Sulphur.* Sulphur in pulmonum affectibus quotidie præscribitur; à Dioscoride, scriptore antiquissimo laudatum.

*Ferrum.* Ferrum ab antiquis celebratur in splenis affectibus, quo & hodie non sine fructu vtimur. Apud antiquos aquæ minerales, in magna fuerunt veneratione, & nos quoque in casibus desperatis annuatim ad eas confugimus.

*Sal.* Sed quid de sale dicent? absque quo, vita humana degere nequit: & quo in condiendis cibis vtimur quotidie, estne nouum inuentum? aut habueruntne an-

tiqui

riqui eius notitiam? At non ſolum è mari & fontibus excoquitur; ſed inſuper ſunt montes & mineræ natiui ſalis, ſolidi marmoris inſtar, in quibus lapidicinarum modo, cæditur renaſcens: quæ in Valachia, & prope Cracouiam ipſus vidi, maiuſque Regum vectigal, quam vllius rei: quod tamen neque vegetabile, neque animale dici poteſt: Erit ergo minerale.

Sic ad externa; antiqui vnguenta, Emplaſtra, collyria & ſimilia, non ſine mineralibus & metallis compoſuerunt. Ex plumbo Chymica arte cum aceto, compoſuerunt ceruſſam, pro vnguento & Emplaſtro, quod album appellatur. Ex plumbo fit litargyrium, ex quo fit Emplaſtrum triapharmacum; omnia hæc ab antiquis excogitata. *Plumbum.*

Ex cupro & aceto, eadem arte fit Aerugo; hæc intrat in vnguentum Ægyptiacum, fuſco colore ſic dictum, etiam veterum inuentum. Sed quid in his reci- *cuprum.*

tandis tempus consumo: vetula quæque in Italia deridet huius artis persecutores, quod sine ea nihil quicquam inuenire illis possibile est ad capillum tingendum. Vnico verbo, quicquid præclari & pulchri arte perficitur, ab huius antiquissimæ Philosophiæ fundamento procedit; videntes hoc vident, attamen non cognoscunt. Hanc stupiditatem admiratus Senex, dicit (submissâ voce ridendo, se conuertens ad suos) *Diuina mens edocuit sua opera imitari, cognoscentes quæ faciunt, sed ignorantes quæ imitantur*: Verba Hippocratis. Non igitur noua producere tentant Hippocratici Chymici; sed antiquitate probatissima ab interitu reuocant.

*Lib. 1. de diæta.*

Validissima autem remedia, *a* (obijcere pergunt) ex mercurio & antimonio denotant ignorantiam Chymicorum, quorum vsus abominabilis, & plerumque per os non assumuntur absque vitæ periculo.

*a quasi lapis armenus lazuli, & argenti viui inunctio benigna essent?*

Ego vero ignorantiam non miror, hanc obferuo in omnibus professionibus, & præfertim in medicina, quam ab hac antiquissima arte, originem sumpsisse necesse est. Hinc motus Hippocrates *a* quod *Medicinam vocat omnium artium nobilissimam, sed propter ignorantiam eorum, qui eam male exercent, esse omnium vilissimam.*

a de lege.

Ignorantia itaque est, quæ omne malum in medicina generat; hinc nullibi maior inuidia, quàm inter hos ab Hippocrate alienos & dissectos, quorum facies eo crimine plerumque liuet, adeò vt medicus nunc passim ludibrio expositus comicis in facetias & mundo in prouerbium iuerit. Proh! vbi maiestas, quâ fulgebant olim apud suos Aesculapij? vbi decor, vbi existimatio & ἀδελφία, quam tantopere committit & commendat Hippocrates *b*? Nostro sæculo, vnus vilipendit alterum, dicta & facta taxat, rixatur, à tergo contra-

b de decenti ornatu.

dicit, quæ non intelligit, se ipsum apud ignaram plebem extollit, sordidâ spe lucelli. Si enim Chymiæ principia, id est naturæ instrumenta cum Hippocrate, ex nostris furnis, pro medicinæ fundamento didicissent, in tot errores & sectas medicina non abijsset, neque hodie cessat diuisio; assurgit enim sectatula, duplicem medicinam statuens, Chymicam scilicet & Galenicam, contra Senis decreta, qui vnam saltem docuit: neque Galenus huius sectæ meminit; huic Hippocratis & Galeni dogmata nimis videntur prolixa; paucis regulis contenti, instrumenta medicinæ ignorantes, & canonici à plebeis & mulierculis vocari se iubent & gaudent: quos tamen Galenus, qui nulli sectæ erat addictus, doctrinâ vero, & prudentiâ ornatissimus, seruos appellat: omnes enim addiscendi causâ accedere volebat, piscatores & infimæ sortis alios homines & plebeos & imperitos ali-

quando consuluit, *a* ( & quare Paracelso id vitio vertitur à Sennerto in lib. de conssensu cap 4.) non solum vt, iuxta Hippocratis sententiam ( quem quoque non piguit ex plebeis sciscitari ; præceptionum libri principio ) ignorantiam scilicet aufugeret, sed vt verum à falso discernere posset. Cognoscebat enim solertissimus hic vir, ægroto nihil calamitosius accidere posse, quam medicinæ fundamentis substruere credulitatem, cogitationem, opinionem, incertitudinem, arenam, paludem, syrtem. Et licet Galeni tempore, Philosophia naturalis, quam nunc Chymiam dicunt, inter paucos, sub silentij iuramento occultabatur; huius causa tamen, totam Ægyptum perlustrauit, vbi ars illâ tempestate floruit; id confirmat, summam viri curiositatem, & diligentiam: redux nimirum in patriam, diuersa rara pharmaca ibidem accepta, inter amicos medicos distribuit, vt experientia confirma-

*a li. de simpl. medic. facult.*

rentur. Sic ignis miram efficaciam scripsit, de Theriaca *a* ad Pisonem lectu dignam. Summis laudibus extollit Æschiron Empiricum eius præceptorem, à quo cancros vrere didicit *b*.

*a Cap. 1.*

*b De simpl. medic. fac. 11. Gal. laus.*

Manebit itaque Galeno, viro perspicacissimo, sua gloria, cui non minus quam Hippocrati, reverentia, vt rerum bonarum omnium causis ac principijs, debeatur.

*Alchimia.*

Naturalis itaque Philosophia Hippocrati, quam nunc Chymiam vocant, est antiquissima, deriuatur nimirum à Græco nomine, ἅλς Hals, & χέω cheo, id sonat, salis fusio, seu liquefactio; hinc surrexit nomen Alchimia, quasi diceres ars fundendi salia; & recte. Natura enim ipsa fructum producere non potest, nisi seminum salia interna (quæ ostendam ad oculum) in terra liquescant: semel autem liquefacta, vicissim agunt in inuicem, & in plantam assurgunt, ad suos fines; & tunc à labore cessant:

*Spiritus enim* inquit Hippocr. a, *alter trahit, alter protrudit, idem autem vterque facit, & in vtramque partem tendit (crescit & vegetat) & sic naturam hominis imitantur.*

a De diæta.

Semina autem iam à natura ad maturitatem deducta accipit Philosophus Chymicus, ab Hippocrate edoctus, & in illis considerat bina (salia) naturæ instrumenta, ignem scilicet & aquam, hac arte ad agendum compellit, liquando salia, iuxta naturæ legem, vt alchimia docet; fitque aliquid noui, quod prius non erat, vt exempli gratia PANIS; in illo rursus considerat Hippocraticus Philosophus & Chymicus naturæ instrumenta, quæ porro compellit obstetricia manu & salia liquat, naturam scilicet imitando, & iterum producit aliquid noui, quod prius non erat, idque vocamus ACETVM; in illo notat Chymicus Philosophus, ignem superare aquam, sic enim præceptore iu-

a De prisca medicina.

bente *a*, *quod nullus ſapor propriâ facultate præpollere debeat:* acidum tunc ſuo contrario abſumit, & rurſus diuidit ignem ab aqua; fitque noua productio, & eſt AQVA ARDENS quæ poſtmodum occultâ artis ope in alcali fixatur. Et ſic pergit curioſus Hippocraticus permiſcendo & alterando, donec intentum aſſequatur. Tandem ambo inſtrumenta, aut facultates, per repetitas ſalium fuſiones ad orcum reducit. Et licet ignoranti videatur Hippocraticum hîc noua produxiſſe, verum non eſt, ſunt enim antiquiſſima; ſalia ſaltem toties refundit, quoties illi Natura concedit, quæ tamen vltra quartam reuolutionem repetere non permittit, doctorum *b* virorum teſtimonio & ratione ſic dictante: de quo nunc ſatis.

b Ioh. Dee. Theor. 23. Iſaac Hollan. & alij.

Hanc ſalium repetitam fuſionem, liquationem & exaltationem, ab antiquis Alchimiæ nomine dotatam: non ſolum in

Vegetabili sed etiam in Minerali *a* regno locum habere indicat Hippocrates *b* hac doctrinâ. *Aurum operantes*, inquit, *tundunt, lauant, molli igne liquant, forti enim non conflatur, &c.* quo ostendit Hippocr. *c* ignorantiam, & inscitiam eorum, qui scribunt Chymiam exerceri, circa vilem metallorum & minerarum fusionem, quasi hæc molli igne liquescerent: contrarium fatebitur, qui vnquam vidit mineralia, metalla & aurum fundi, aut liquari; quod sanè non requirit mollem, sed fortissimum ignem. Non itaque Philosophus hic intelligit, rudem hanc minervam, licet originem ab ea desumpsit, quod statim indicat claro & intelligibili exemplo. *Homo*, ait, *frumentum tundit, lauat, mollit, & vbi igne coxit, vtitur, & forti quidem igne in corpore* d *non conflatur, verum molli ac lento.*

a *Quæ ortus sui parentem nullum alium agnoscunt præter Deū & astra.*

b *Lib. 1. de diæta.*

c *Galenus è contra, metallorum notitiam non habuit, argentum viuum non cognouit.*

d *Ignis in corpore.*

Mollis itaque erit Philosophorum Chimicorum ignis in extra-

ctione animalium, mineralium & vegetabilium familia (Elixiria parua *a* neotericis): *Omnia similia esse* docet Hippoc. b *dissimilia existentia*. Quam primum autem ignis mollitudinis gradum excedit, non amplius est Philosophorum, sed artium; tunc enim res non promouentur obstetricia manu; sed alterantur, docente id Magistro citato libro.

a *Isaac, Bacho, Ripleus &c.*
b *De diata.*

Quicumq; igitur salia fundunt, aut molli, aut forti igne liquant, omnes dependent, ab antiquissima hac Chymica Philosophia: ignorantiam itaque crassam produnt, grauiterque impingunt (iuxta Hippocratem) qui Pharmacopoeum ab hac arte excludunt: Cum enim vegetabilia tundit, succum exprimit, tunc profectò salia fundit: *peregrina verò, & aliena, non eosdem mores habentia à regione protrudit* (verba Hippocr.) cum vero liquata salia condensat cum saccharo in syrupum tunc permiscet & alterat: *Sic & hominis natura,*

inquit Senex, *& omnes artes cum humana natura communicant.*

Si itaque natura præcedat omnem artem, & ars imitatur eam, homo non erit ſub Sole *a* qui Chymicam & ſalis fuſoriam officinam in ſe non contineat; ſolus ſaltem Medicus Canonicus, qui Hippocratis dogmata, propter huius antiquiſſimæ artis ignorantiam odit, ſeſe excipit, ignariſſimus enim eſt huius Diuinitùs datæ ſcientiæ: adeoque propter hunc ignorantem, *b Medicina reputatur inter omnes profeſſiones viliſſima*: fundamentum enim quo pedem figat non habet: de quo ait Seneca; *Semper diſcens, at nunquam ad veritatem perueniens.*

*a Vide cap. 13. huius libelli.*

*b Hipp. de lege.*

Hinc factum eſt, quod Galenus *c* nobis Hippocratem, omnium bonorum Ducem, locupletiſſimis ſcriptis confirmat, & toties bonorum autorem ſuis reſcriptis proclamat, imò ad nominis æternitatem commendat conſecratque. Hæc iuſta Galeni ſen-

*c Ad Glauconem initio. & l b. 1. de vena ſect: aduerſus Eraſiſtran.*

tentia me mouit, vt nunquam donec vixero, aliam in medicina adhibendam, quam Hippocratis doctrinam, non niſi cum ipsâ natura interituram cenſeam.

# OTTONIS TACHENII HIPPOCRATES CHYMICVS.

## *Occaſio ſcribendi.*

### CAPVT PRIMVM.

Tam ardua omnium ſcientiarum perfecta eſt cognitio, vt priùs tota hominis vita deficiat, quam vel vnius diſciplinæ radicalem rationem, quæ diſputabilis non foret, ex libris tantùm chartaceis *a* inveſtigare queamus. Socrates cum omnes fermè diſciplinas ſic perſcrutatus eſſet,

*Tantum ſcit homo, quantum ipſi operando mente ac manu certè innotuit.*

a *Non ſuna tamen reiiciendi.*

tunc primùm ab oraculo sapientissimus omnium iudicatus est, cum se nihil scire palàm fateretur: quod mihi hic videtur Ecclesiastes confirmare, b *Intellexi*, inquit, *quod omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inveniat, etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Hanc sciendi difficultatem cognouit etiam diuinus Hippocrates c in nostra medicina, vt eam veritus non sit Democrito per literas ingenuè confiteri: *Neque enim quantumuis*, inquit, *iam senex, ad artis medicæ summam perueni*, & idem: d *vitam nimis breuem*, pro vnica saltem scientia ex fundamento addiscenda agnouit. Hinc permotus est e vt honorari atque laudari iusserit omnes, *qui inuestigare conati sunt sapientis Naturæ arcana opera*, additque, *quòd immeritò vllus aliquis ipsorum*

b Cap. 8. v. 17.

c In Episto.

d 1. Aph. 1.

e l. 1. de diæta.

*reprehendatur, propterea quod hæc inuenire non potuerit.* Aliter sentit scriptor, qui Augustanam pharmacopœam reformauit; is liber excusus Goudæ, apud Guilielmum Verhoeuen, Anno Domini 1653. Huius libri occasione, elapsis hisce diebus, Amicus meus spectatissimus Ioannes De La Noù bibliopola celeberrimus vrbis petijt à me vtrum operæ pretium iudicarem, vt hic prælo subijceretur? &c. Ego quidem titulum audiueram, at scriptum hactenus non videram, otij enim tanti non fui, vt in similibus tempus fallerem; hac occasione, inquam, succisiuis horis dictum volumen non sine admiratione euolvi, & in hoc prauam illam notaui consuetudinem, quibusdam admodùm familiarem & contra Hippocratis decretum, vt quicquid probè quisquam magno labore & studio inuenerit, posteritati & publico bono scriptis tradiderit, illud statim, non quidem ratione & experientiâ,

ſed monſtruoſis calumnijs & conuitijs apud ignarum vulgus traducant, lacerent & vilipendant, vt famam aliquam ( Heroſtrato ſimiles ) ex alieni nominis ruinâ aucupari poſſint. His veſtigijs incedit etiam Reformator Auguſtanæ pharmacopœæ, qui non ſolum in Veteres, ſed etiam in Modernos Hippocratis & Galeni ſequaces ita debacchatur, vt nullum ferè conuitium excogitari poſſit, quo hos non aſpergat: quem cum olim perficiendi modum viperini ſalis ſub metaphora docuiſſem ( apertè negaſſem ) nunc pro fuco proclamat, imò *impoſturam impedire* ait, *ne publici iuris fiat*, &c. *a*. Ego ingenuè fateor, quod Reformator hîc ſaltem verum dicit, nam quicquid medicos olim laboris amantes illuſtres reddidit, illud ipſum impoſtores dolosè adulterant; hos timuit meus Hippocrates, ea de cauſa medicamentum antipeſtilentiale, quô diuinos ſibi acquiſiuit honores ſub-

*a Pharmac. fol. 147.*

ticuit ; cuius ope adeò feliciter & securè pestem curauerat, vt testantur epistolæ.

Impostores timuit Paracelsus, qui insanabilia corporis contagia mirificâ arte sustulit, vt sonat epitaphium, quod Salisburgi in Nosocomio apud San Sebastianum lapidi insculptum spectatur.

Imposturam timuit nostris temporibus Lazarus Riuerius, qua de causa Febrifugum sub metaphora edidit.

Sic prudentissimè abscondit Van-Helmont liquorem, quem cum Paracelso corrupto nomine Alcahest appellat, qui tamen ab impostoribus tutus non est, quin pro eo, à Reformatore acetum substituitur *a*, hinc malo meo edoctus, mei pædagogus factus animo reuolvi sæpius istud Eschen revteri ad Grataroluim : *Leuiori iure scis Bononiæ latam sententiam, eum proditorem patriæ appellatum, & furcâ dignum proclamatum, qui primus filatorium*

*a In appendice fol. 72.*

( eſt machina quâ ſeta bombicina fuſis artificioſis in fila trahitur ) *in Germania Tridenti ſcilicet præparauit.*

Vnde non ſine cauſa timidulus, ne præ torpore & ignauia mea ad manus impoſtorum dimanaret, abſcondi hactenus quod medicum nobilitat, & præcipuè ne dignus atque indignus eandem ſubirent ſortem: importuna autem Reformatoris efflagitatio *a* effecit, vt ex magno experimentorum & obſeruationum mearum cumulo excerperem, quæ ( vt dicitur ) mihi canerem, inque meum ipſius vſum deſtinatam, ad publicam vtilitatem nunc profero: ſeruato tamen Hermetis præcepto *b quod* nimirùm *ſapientia Autoris maior debeat eſſe ſuo libro.* Fatum autem ineuitabile, quô trahit eundum.

*a Pharm. 487.*

*b L. lro radi.um.*

Nunc vero hunc laborem aſſumo libentius, quo errantibus viam rectam demonſtrem, & in eandem, ſi forte aberrauerint

*Soli illi docent qui per cauſas & principia certa docent.*

reuocem, vt etiam qui hanc artem hactenus persecuti, errores aliquando emendent, ac sapere incipiant; vt & qui eam exercent, naturæ fundamentis firmatam intellexerint, vt ab impostorum & sophistarum dolis & fraudibus in futurum tuti sint. In hoc autem labore potius causæ veritatem, quam locutionis ornatum quæsiui; veritatis enim sermo, ait Euripides, simplex existit, nec interest in dicendis veris, quali sermone vtamur; præsertim quod Cicero eloquentiam in Philosopho non desiderat, multò minus Celsus eam in Medico, nam cum de re agitur, *inquit Plato*, frustrà elegantiam aut ruditatem verborum attendimus; saltem vt rebus & doctrinæ satisfiat. Nec in amœnas disputationes, aut odiosas altercationes me diffudi, sed quicquid sensibus occultius se obtulit, illud experientiâ duce, vestibus spoliaui, & veritatem rerum planè nudam ante oculos conspi-

*Arist. in proæmio metaphysicorum.*

*Iustam ad causam, tria verba sufficiunt, ait Pindarus.*

cientium exposui; adeò vt singulis omninò omnibus innotescat: hæc bræuitatem optat, non disputat; atque hoc seruaui.

Huc ergò adeste veritatis amatores, vos admiranda & iucunda vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis, quæ abscon- sa & occulta à sensibus & cognitione hactenus stetere. Nunc ipsum opus aggrediendum.

*Qui nimiùm properat, seriùs absoluit.*

## CAPVT II.

*a Pharmac. fol. 481.* 273

*Difficiles aditus omnis impetus habet.*

REformator incipit elato supercilio. *Nunc*, ait, a *nos conuertimus ad examinandum* salem Theriacalem antiquorum, *cuius præparatio tam infantilis & absurda est, vt nullibi veterum simplicitas dilucidiùs atque in illo appareat*, &c. paulo post: *animalia duntaxat gaudent sale*

*volatili, & ferè nil præter solam terram mortuam, omni virtute medicâ exutam, in violenta calcinatione post se relinquunt, &c.* imò reliqua absurda silentio non involuenda sunt, *quòd salis communis loco salem armoniacum substituerunt, re profectò, vt video, ne tantillùm intellectâ, quia totus is sal armoniacus in auras pulsus est, & sic nec de viperis nec de suo addito sale armoniaco quicquam illis remansit*, &c. hæc ille.

*Nolite præcipiti iudicio, & causâ non satis excusâ insontes damnare.*

Mihi autem non videtur Veteres hoc loco inculpandos absurditate & simplicitate, adeò vt Reformatoris immaturam reprehensionem perferre debeant. Sed priusquam iudicentur, audire oportet & alteram partem, & indagare, quid sit sal armoniacus veterum? & quâ ratione, loco salis communis illud substituerint? & in quem finem? & vbi denique peccarint, vt Reformatoris præcocem iram & acerbam contemptionem perferre mereantur?

*Redarguere ea quæ non rectè dicta sunt, minime instituti Hippoc. de diæta lib. 1.*

Sed hæc omnia, vt clariora fiant, necesse est salium quorumdam intima subire, & exactè horum naturam & differentiam, ex accidentibus proprijs & sensibus cognitis, non syllogismo logicali & conuertibili, vel imaginarijs non entibus, sed planè experimentali, & naturali historiâ examinare.

*Imaginaria hic non tractantur.*

Dico itaque & confirmo, non solum quòd animalia duntaxat, sal volatile possideant, sed præter opinionem Reformatoris, quòd & vegetabilia omnia non habeant à natura neque granum salis fixi, nisi arte illud acquirant; & primò de notioribus dicam, & paulatim ad occulta progrediar.

*Nec si quid nescis, reliquis id scire negatum est.*

Naturalem salem armoniacum, Veteribus magno in vsu fuisse testatur Plinius a *Reperitur*, inquit, *in Africa, in Regione Cireniaca ad Hammonis oraculum vsque, oblongis glebis, & sub harenis.* Id confirmat Dioscorides, quod sal armonia-

a *lib.* 1. *cap.* 7.

cus natione laudatur. Hic ſal eſt conſtans in igne, ſuo modo ſapore multò ſals-acidiore noſtro ſale communi cibario; vt oſtendam, & ob id medicinis vtiliorem inuenerunt, quapropter commendarunt id Veteres pro hac re.

Illud autem quod ad nos adfertur, non eſt in oblongis glebis, vt neque eſt naturale, ſed componitur arte, ex naturali ſcilicet & alcali volatili animalium, id docet eius reſolutio: iuxta Ariſtotelis axioma a: diuiditur nimirum in acidum ſalis ſpiritum, vt etiam in alcali volatile; (omnia ſalſa in duas diuiduntur ſubſtantias, in alcali nimirum, & acidum, vt paulatim oſtendam) quæ ambo ſeparata, & rurſùs coniuncta, fiunt ſal armoniacum quod erat. Acida pars, vel acidus ſpiritus habet omnes proprietates, vt ille qui diſtillatur è communi ſale: Alcali autem eiuſdem eſt conditionis cum illo, quod ex humana

a *In quo quid reſolui poteſt ex illo neceſſario debet conſtare.*

vrina ſublimatur, minùs tamen fætulentùm; vnde ſuſpicor, quod non humanam, ſed camelorum vrinam ad illud compoſitum elegerint. Horum enim vrina, vt notat Plinius *a* fullonibus vtilior quàm reliquorum animalium, vnde alcali ditior ſit neceſſe eſt: fortaſſe, quia vt reliqua animalia, ſal non comedunt; commune enim ſal non abluit. *Nauſiccca enim Alcinoi filia lauabat lintea ex fonte in littore maris*, vt ſcribit *b* Homerus.

*a li. 28. c. 8.*

*b Odyſs. lib. 6. a verſu 85. vſq; 96.*

Fit autem ſal armoniacum artificiale, eodem modo ſicut ſapo, natura enim operatur in omni re ſimile, docet Hipp. *c* ex acida nimirum parte ſalis ~~armoniaci~~ communis; & alcali vrinæ camelorum (vel animalium perinde eſt: ex alcali fuliginis, & ſpiritu ſalis acido, alio deficiente, feci ſimile ſal) vrina enim per macerationem diſſoluit ſal: & alcali vrinæ, quod aliàs dierum curſu in auras abiret; hic per moram reperit acidum; quod combibit, fitque ex acida parte

*c lib. 1. de diæta.*

*Sal Armoniacum.*

ſalis,

ſalis, & alcali ex vrina, noua creatura artificialis, ſalſi ſaporis. Quod autem ſimiles mores non habet [a] neque cum nouo ſalſo concordat, ſponte ſegregatur ad fundum; ſupernatantem ſalſum liquorem clarum coquunt & deſpumant, ac iterum feces deponere ſinunt, quem deinde coagulant in placentam. Hoc eſt ſal armoniacum, quod ad nos defertur; non tamen illud quod veteres pro ſale Theriacali elegerunt, vt exiſtimat Reformator: ſed illud eſt naturale, quod ſub arenis (ἄμμος) reperitur, vt docet Plinius citato loco, quod tamen in progreſſu clarius. Nunc priuſquam progrediar, quid ſit alcali dilucidiùs explicandum.

[a] *Hip. citato libro.*

## *Alcali sal, quid sit.*

### CAPVT III.

*Sensus ductores vitæ & omnium actionum voco.*

INstituti mei non est, hîc, vt dicitur, rem ab ouo aût ab elementis arcessere, sed de rebus naturalibus, physicis, materialibus, & sensu notis demonstrationem aggredi.

Fit itaq; sal Kali ex herba Kali, magnâ copiâ in Ægypto prouenięte quæ ibidem viridis exuritur, & ad nos trãsfertur, à quibusdam vocatur etiam soda, lumen catinum, & vero nomine sal Kali appellatur, non reperitur tamen sal Kali in natura, nec in omnibus tribus regnis, nisi ab artifice ignis ope producatur; hinc tres habere partes hanc virginem antiqui scripserunt, Naturam scilicet, ignem, & Philosophum.

*Alcali, est inane*

Est etiam sal Kali, compositi pars, vt reliqua salia, virtutibus

tamen feminalibus orbatum, habet faltem virtutem abfterfiuam, faponariam, & refolutiuam proprietatem, huius inanitionis gratiâ, quafi informis, abforbet combibitque omnis generis acida ( impregnationem dixerunt patres ) hinc omnia falia, quæ acida mortificant, unico & generali nomine Alcalia appellantur; quæ reperiuntur non folùm in vegetabili, fed infuper in animali, & minerali familia; funt etiam in his tribus multiplicia, fixa nimirum, volatilia, manifefta, occulta, mediæ naturæ, ex animalium partibus defumpta, quæ ad oculum funt demonftranda; & primò à notiori incipiam, quod reperitur in filice, qui quatenus filex confideratur ab imperito, quafi unico freno regeretur; vitrarij autem periti Muranenfes obferuarunt, quod licet ab utero aut natali loco exemptus, centum libras annuatim decem *a* plùs minùfue acquirere; inde dicit Hippocraticus, *Iovis omnia*

*& vacuum.*

*Silex.*

*a in Aere eft occultus vitæ cibus*

*docet Cosmopolita.* *plena*, & etiam in ambiente nutrimentum accipere, sed quam primùm ignis externus & artificialis accedit; tùnc illum peritus, mox in vitrum liquat, mox in calcem vertit.

In silice itaque comprehendit Hippocr. Philosophus & Chymicus duas differentes facultates, à Magistro & Doctore IGNIS & AQVA *b* sic propter suas rationes appellatas quæ silicem constituerunt, quas per ignem debitum alterat Chymicus; quæ alteratio vocatur incineratio: in puluerem enim sponte abit. Vnde communi nomine calx appellatur.

*b lib. 1 de diæta.*

Hoc in cinere vel calcinato rursùs comprehendit suprà nominatas facultates, quæ nunc semel & semper pro majori intelligentia ACIDVM & ALCALI vbique nominabimus ab effectu.

*Acidum, & Alcali naturæ instrumenta.* Calx itaque habet in se duo salia; Hippocr. duas facultates acidum nimirum & alcali, ambo in

igne constantissima, & vnum alteri contrarium; cùmque irrigatur calx, tunc salia soluuntur aguntque in inuicem: Alcali absorbet & agit in acidum, & hoc vicissim assumit alcali: non quidem pro destructione, *a* sed pro noua generatione, & quicquid in illa actione apprehendunt, non procul recedens ab eorum natura, induresicit cum illis in lapideam duritiem: sic contrarium coagulatur à contrario.

*Ignem vero acidum, & aquam alcali esse suis locis ostendam,*

*a Homines ex manifestis, obscura considerare non nouerunt Hipp. lib. 1. de diæta.*

Hanc notitiam de calce, si ex Hippocrate didicisset Reformator; non instituisset, heu miser! alcali viperini cum calce fixationem, vt lamentabili voce in discursu de sale *b* Theriacali declarat.

*b pharmac: fol. 481.*

Postquam Hippocraticus iuxta leges naturæ, contrarijs facultatibus notauit calcem petrificari, rememorat Magistri & Doctoris documentum, quod nimirùm similia similibus debeant dissolui, & id non solum in artificialibus, sed etiam in naturalibus, præsertim in medicina, & corpori-

*Contraria cõtrarijs coagulantur.*

bus humanis, vt paulatim apparebit: *artes nimirum naturam humanam imitantur*, verba Hippocr. *& concors concordi adhærere* docet idem *b*

*b Hip. li. 1. de diæta.*

*Alcali & oleum fit Sapo,*

## CAPVT IIII.

CAlx, vt dixi, habet duas diuersas facultates acidum & alcali: alcali habere saltem saponariam & absterfiuam virtutem suprà dixi, quam extrahere & separare docuerunt Hippocratici suo simili. *c* Saponarij itaque addunt calci, Alcali factitium, ex vegetabilibus exutum, in tripla proportione, eò quòd acidam partem in calce mortificat, & alteram suo simili liquat. Humectant itaque cineres alcalizatos pauxillùm, quibuscum cooperiunt calcem inextinctam; sic relinquunt, donec calx dehis-

*c Similia similibus soluuntur.*

cat, pro ſigno mutuæ actionis, tunc commiſcent, affunduntque aquam, vt maſſa humidior fiat, iuxta regulam; *ſalia non agunt niſi diſſoluta*: tunc ſufficienti aquæ quantitate, extrahunt alcali lixiuiale igneum (igneum dico, cõſumpſit enim in momento bulliens hoc lixiuium ebrium hominem, cum laneis veſtibus, vt nil repertum fuerit, præter lineum induſium, & duriora oſſa, vt accepi à fide digno, huius artis profeſſore) quod lixiuium igneum, Magiſtram vocant; quæ tanto alcali ſaturata, vt ouum in illa non ſubmergatur. Ex eadem mixtura fit & aliud lixiuium minus ſaturatum, quod ouum non ſuſtinet; cum vltimo hoc, oleum vel pinguedinem (alcali contrarium, acidum enim occultum continet, (vt apparebit paulatim) primò commiſcent (propter ſuas cauſas) coquendo ſaponem; coquunt, inquam, lento igne, donec albeſcunt, tunc adijciunt Magiſtram in tripla *a* olei vel pingue-

*Ex Calce & melle, fit mixtura qua callos pedum mortificat.*

a *Et au-*

*gescit maius a minore.* *Hip. lib. 1. de diata.* dinis proportione : coagulat autem bulliendo oleum alcali, donec in vnum corpus coëant, vt contraria & permixta; *nunquam enim simul in eodem consistunt, sed semper alterantur* : a *necessarium est etiam, quæ ab ipsis secernuntur, ac producuntur dissimilia fieri*, ex alcali nimirum manifesto, & acido occulto in oleo fit aliquid neutri, salsi saporis : linguâ quandoque explorant, si sapor dulcis, addunt Magistram, si mordax coqui debet, donec oleum absorpserit, sin verò mordacior, sensim addunt oleum ad discretionem, vt docet Hippocr. *spiritus alter*, inquit, b *trahit, alter protrudit, idem autem vterque facit, & in vtramque partem tendunt, & sic hominis naturam imitantur.*

a *Hip. citato libro.*

b *lib. 1. de diata.*

Sal maris, quia non est corpus vacuum, vt alcalia, cum pinguedine in saponem non coagulatur; habet enim ambas facultates difficulter separabiles, vt posteà ostendam, ea de causa Nau-

ſicca, Alcinoi filia lauabat lintea ex fonte in maris littore, vt habet Homerus 6. odyſs.

## *Vitrum componit & diſſoluit.*

### CAPVT V.

Vitrum fit ex eodem ſilice, & eodem ſale alcali, regulâ à contrario, non autem viâ humidâ vt ſapo; ſed ſiccâ & igneâ fuſione & liquatione. Miſcentur autem tres, aliquando duæ ſaltem partes pulueris ſilicum, cum vna parte ſalis alcali (& non cibarij acidi) quod rodendo liquat ſilicem, & in fuſionis igne abſorbet; dico alcali pars, abſorbet acidum illud, quod ſilex pro calce continet ſupernatatque ſilice fuſo, vocaturque axungia vitri *a* fel vitri, altera pars alcali coit cum ſilice, ſaturaturque de eo, & quoniam in eodem non con-

*a Anatron Crollio in lapide medicamentoſo.*

fiſtunt, vt docet Hippocr. euadunt ambo in pellucidam maſſam, tunc aiunt artifices vitrum eſſe coctum.

Alcali autem ſupernatans, & acido ſaturatum, illud ferreo cochleari deponunt, quod ſel vitri vocant; id proijciunt, tanquam pro vitro inutile; in ſalſum enim à permixtione commutatum eſt, ideò paſtores, pecoribus plus ad lingendum porrigunt, præcipuè in locis, vbi ſal cariùs venditur. Hoc humido cœlo, facile in liquorem abit, & ſilicum puluis tunc ſponte cadit, liquor calore coagulatur in verum ſal commune; quod probat eius granulatio, & deinde diſtillatio. Fundus verò, vel fæx, in vrinæ difficultatibus, eſt medicamentum non contemnendum, ſicut & ſilex ignitus, & in aqua extinctus.

Hæc autem aqua, aliquando fruſtrà propinata fuit, præſertim quando ſilex minùs proprio calore excandeſcit, & diuretica illa vis perit; perit autem cùm ignis

calor ſilicem alcalizat, il eſt, quando ambæ facultates in vnum coeunt, tunc ad vrinæ loca non pertingit ratione fixitatis, imò & alia vrinam mouentia tum temporis retardat, quatenus ſtomachi digeſtionem, quæ eſt ex acidis, perturbat, ſibique appropriat. Tunc cæperunt veteres vitrum in ſilicum puluerem *a* reducere per extinctionem, in acidum ſalem, cum felici ſucceſſu.

*Vitri vſtio.*

Hanc reductionem & præparationem, planè Hippocraticam & ingenioſiſſimam, vocat Reformator *b* more ſuo, *leuidenſem inutilem, ineptam, & omni iure explodendam. Videant*, inquit, *quam turpiter ſe dent tales Philoloſophi putatitij & ſermocinales, qui verà philoſophià deſtituvntur, & in quantos ruant errores, vt non ſolùm illis, qui penitùs naturam eiuſque penetralia ſcrutantur, ſed & ruſticis ipſis, imò lippis & tonſoribus, nec non vetulis & anis ſe deridendos propinent. Vitrum hoc modo præparatum* ( per-

*b fol. 734. pharmac.*

*Monſtruoſus ſermo, monſtruoſi ingenij index, ait noſter Galenus.*

*Tantumne est ab re tua otij tibi, aliena vt cures. Terent.*

git Reformator aculeis pungi) *sine periculo aut detrimento ægrotis, licet illud protinùs non senserint, exhiberi minime potest.*

Ego verò probabo, contra Reformatoris friuola fundamenta, eum qui docuit vitri vstionem rectè sensisse, huncque à calumnijs, quibus illum asperserit vindicabo, & præcipuè contra illud; *quod vitrum hoc modo præparatum, & sine periculo aut detrimento ægrotis exhiberi non possit.*

*a Vitrum vnde habet suum componi, in id per idem suum habet resolui.*

Accipe ergo vitrum clarum, pellucidum, illudque pulueri & vitro *a* simile alcali liquato, postea aere humido expone, & reperies mox totum vitrum resolui in aquam, huic affunde sufficiens acidum, id est Alcali contrarium, & cadit silicum puluis. Hic puluis ampliùs vitrum non est, sed silicum puluis, quem Reformator abhorret, & sine detrimento ægrotis non exhiberi asserit: immemor, quod silicum puluerem Reginis *b* commendat ad generandum lac.

*b In ap.*

Veteres

Veteres ſeparādi artem, mortalibus diuinitùs cōceſſam non habebant, per diſcurſum tamen hanc cognoſcebant; extinguere itaque cæperunt vitri pollinem, in cineribus ſtipitū fabarum, quorum ſal eſt ex acido ſalſus, vt mox oſtendam; extinctionem repetebant ſemper nouo cum cinere, pulueremque vitri aquâ abluebant, ita vt quælibet extinctio, fuerit vitri vel alcali deſtructio, illudque abluebant, & rurſus extinguebant, donec fabarum cinis omne alcali deſtruxerat, & impalpabilem puluerem relinquebat. Hic pulvis eſt ſilicum, ſicut ille qui ſuprà cum alcali liquatus, & cum acido præcipitatus, quem Reformator plebeis per os exhiberi tutò non poſſe putat; & vt dixi, in Reginis lac generare promittit.

*pendice pharmac. Reg. fol. 136.*

*Curioſolus Reformator, qui in antiquorum pectore oculum geſtans ſuos interim errores non videt.*

Hac in præparatione *a* quam Reformator ex ignauia & inſcitia *leuidenſem* appellitat, latet profunda naturalium rerum notitia, vt paulatim apparebit, &

*a Simplicium rerum præparatiò & cognitio, totius hominis vitam propemodum ſibi requirit.*

nullo modo eius aſſumptio eſt timenda, vt falsè docet Reformator. Sed plurimùm ignorantes timere plurima neceſſe eſt.

*Rumor ſine Capite,*

## CAPVT VI.

Circumfertur & modus eliciendi ex ſilice calcinato vim diureticam per alcali deſtructionem, id eſt, per regulam alcali contrariam, cum ſpiritibus acidis, hac viâ. In ſpiritum ſalis fruſtulatim inijciunt calcem viuam, qui ſtatim ab alcali calcis abſorbetur magno impetu & vehementi ebullitione, phlegma inſipidum euocant, & calcem acido ſale ſaturatam in crucibulo leui igne fundunt, & in mortarium frigidum percolant, frigefactam tundunt (igneas ſcintillas tum ſpargit) in puluerem, ex quo aquâ calidâ ſalsedinem eliciunt; hanc purificant & coa-

gulant, & rurſùs ſponte in liquorem ſalsum defluere ſinunt, non inutilem. Reperiuntur autem ſophiſtæ & impoſtores, qui promittunt hunc liquorem diſtillari per alembicum; miſcent nimirum dictum liquorem calcinatis ſilicibus & pulueriżatis, in quadrupla proportione, & diſtillant aperto igne in ſpiritum acidum, quem ſpiritum calcis Baſilij peruerſo nomine appellant.

Videamus nunc, cuius ſit filius, dictus diſtillatus ſpiritus. Primò abſorptus fuit ſpiritus ſalis ab alcali vitrificante, & in igne conſtantiſſimo.

Deinde altera pars ſilicis per aquam fuit ſeparata & reiecta ſub fæcum larua.

Tertiò alcali fixum ſilicis vel calcis, combibit acidum ſalis ſpiritum, fitque ſal ex volatili acido, & fixiſſimo alcali.

Quartò, commiſcent hoc ſal cum ſilicibus calcinatis, id eſt, cum calce viua, quæ ditior eſt alcali quàm acido, vt oſtendi in

vitro & ſapone.

Et licet hæc mixtura vrgeretur igne validiſſimo, quid aliud extillare poſſet quàm acidum volatile? id eſt, idem ſpiritus ſalis, quem alcali abſorpſerat.

Hunc ſpiritum viri celebres & docti, commendarunt in podagra & lithiaſi, tanquam quid ſingulare, euentu tamen planè euanido. Sed Baſilius ſiniſtre intellectus non ſcripſit impoſtoribus, ea propter ab his iniquè pro falſario proclamatus. Rectè itaque monet Comicus ſi ſapis, quod ſcis neſcis.

## *Addo huic examini.*

QVod hac methodo, quilibet proceſſus, tam Chymicus quam medicus, poteſt ingenio & diſcurſu probari, & verum à falſo diſcerni, ſine expenſis vllis, & temporis perditione, ac poſtquam imbutus fueris hac Hippocraticâ doctrinâ, quam breui compendiolo hîc trado, nec

*Natura nihil quicquam habet occulti, in hoc ſublunari globo, quod*

ampliùs ab impoſtoribus, ſophiſtis & deceptoribus circumueniri; imò hac methodo poteris operando, & libros ſcribendo per omnia tria regna, Animale ſcilicet Minerale & Vegetabile, in hac naturali Hippocratica vera & antiquiſſima philoſophia, recto tramine progredi ſine errore vllo in infinitum, nec ſeduci, vt in progreſſu fateberis.

*medic nam ſpectat, quin Hippocraticâ hac methodo, manifeſtum fiet,*

******************

*Qui benè diſtinguit, benè docet.*

## CAPVT VII.

PRo maiori lumine & intelligentia, operæ pretium erit alcalium differentiam, & quid ſit contrarietas, vel acidorum abſorptio & imbibitio, priùſquam progrediar ad oculum demonſtrare.

Sunt autem, vt dixi, varij gradus & ſpecies ſalis alcali fixi,

vt tartari ſingularis priuilegij, tiliæ, coryli, & omnium quercuum genera, quæ in Noruegia, Lithuania & Moſcouia in deſertis ex viridibus lignis in cineres alcalizatos exuruntur: item omnes herbæ calidæ & oleoſæ, vt roſmarinum, lauendula, ruta &c. omnia vnico verbo acidis ſunt contraria, illorumque deſtructiua, quorum differentiam oſtendit ſequens mechanica.

*Segniùs irritant animos demiſſa per aures: quamqua ſunt oculis ſubiecta fidelibus.*

Diſſolue vnciam & ſemis Mercurij ſublimati (qui ex acido & alcali in ſalſum eſt mutatus a a permixtione) in aquæ communis diſtillatæ vncijs quinquaginta; in particulam huius claræ ſolutionis guttatim, ſed celeri lápſu, ſtilla alcali tartari fixum; (eſt liquor tartari ſponte reſolutus, qui in momento diuidit compoſitum) abſorbet acidum, & Mercurius illicò petit fundum obſcurè rubens.

*a Hip. libr. 1. de diata.*

*Alcalium fixorum mira differentia.*

Ex aceti fecibus calcinatis, elicitur cum aquâ alcali tartari, & licet ex eadem viti cum vino pro-

ductus, Mercurium tamen præcipitat rutilantem & splendentem.

Cum verò idem alcali arte ad rubedinem calcinatum fuerit, tunc cadit idem Mercurius, vt cinnabaris contritus.

Tartaro exuto si calcem superaddis, & alcali extrahes aquâ simplici, tunc Mercurius cadens rutilat.

Ex herba Cali extractus, Mercurium præcipitat multò obscuriorem priori,

Lixiuium, quod saponarij Magistram vocant, quod constat ex calce & alcali quercuum, dat Mercurium obscurè flauentem. Ex Hispania adfertur alcali; incertum quidem, vtrum simplex an compositum, Mercurium tamen præcipitat fului coloris.

Cum verò idem Mercurius præcipitatur, alcalibus ex herbis cephalicis, vt rorismarini, lauendulæ &c. hæc quidem sunt alcalia, sed non cinerum vt priora, at multò volatiliora; hæc, in-

quam, deijciunt Mercurium rubidum lucentem.

*Qui non gustauerit salium sapores, nunquam perueniet ad optatum fermentum fermenti, inquit Rosarij Author.*

Sic chelidonia habet alcali mirabile (vt non sine mysterio laudetur à Paracelso & Lullio eius quinta essentia (quam tamen cœli donum existimo) id est huius salis spiritualis alcalisatus liquor &c.) & deijcit Mercurium rubicundissimum. Vasculum hoc ex incuria neglexi, neque lauare iussi; post mensem circiter, in liquoris summitate effloruit color aureus chelidonei flore non absimilis (striarum more coaluit vt vitrum) non sine spectantium admiratione.

Exempla hæc docent alcali, quò ignipotentius, tantò obscuriorem cadere Mercurium, eò quod in ipso absorptionis puncto igneum alcali ferit eius sulphur, fulguris instar; quò autem longius ab ignipotentia recedunt, tantò lucidior cadit, adeò vt volatilia alcalia, fuliginis *a* nimirum & omnium animalium, Mercurium candidi & niuei colo-

*Arsenicum (à Paracelso vocatur fuligo*

ris ex dicto soluto præcipitent, quæ omnia in progressu clariora euadunt.

*metallorũ) fixatum cum nitro, & resolutum non excipitur.*

Sic Mercurius à Balsamo samech præcipitatus, cadit niuei coloris, parum in flauedinem vergens; cùm verò affuderis plus, quam eius naturæ confert, tunc rutilat.

Salsa autem cuiuscumque sunt generis, Mercurium non præcipitant ex dicto soluto, & quò salsis viciniora minùs acidis nocent.

*Balsamũ samech.*

## *En Exempla.*

ALcali salis petræ, licet eius prima origo ex alcali vrinæ; cum sulphure autem, in alcali fixatum (sapitque ideò quodammodo salsum) Mercurium sic solutum turbat quidem, non autem præcipitat. Cùm verò huic mixturæ puluerisatæ, & priusquam deflagrat, additur alcali quoddam fixum, & exsiccatum (tartari) supraque blando igne teneatur, tunc sulphur pri-

mò liquat, & pingue acidum ſulphuris ad fugam ſe præparans, ab alcali quoque pingue auidè combibitur, vt in lactis ſulphuris præparatione (humidâ viâ) contingit: perdurante interim calore liquatur etiam nitrum, cuius ſulphurea & inflammabilis pars aſſociatur ſuo ſimili, ſulphuris nimirùm pinguedini; imò auidè ab alcali excipitur (cuius media pars reſpectu ſpecierum ſufficit, vt *a* nitri partes tres, Alcali tartari partes duas, ſulphuris pars vnica) fitque ſalſum. In ſalſa hacce maſſa bullit vterque ſulphur, igneque perſeuerante & aucto flammam concipit, quæ tunc in accenſione, anguſtum locum in ſale non perfert, adeòque cum fulmineo fragore in auras erumpit. Hæc ſic ſe habere docet relictum aliquando alcali, præſertim quando non in concauo, ſed in plano, & longâ morâ accenditur; quod ab acidis ſpiritibus, in ſalſum

*a Sal fulminans.*

mutatus, & Mercurium amplius præcipitat.
Obiter hic. Quod

## *Ex hoc fundamento, etiam CERAVNOCRYSON strepitum edit.*

*Aurum fulminans.*

SPiritum enim nitri, in alcali tartari nitrum fieri alibi ostendi. Aurum est ferè totum sulphur (suo modo) vt suo loco mechanicè quoque demonstraui, ob id non corroditur ab acidis. Auro itaque soluto, in aqua salsa, ex nitro, alumine & sale armoniaco vel communi, si paulatim (non cõfertim) alcali quoddam instillaueris, acidus spiritus nitri (spiritus aluminis vel vitrioli in aquæ fortis distillatione non ascendit) in alcali vacuo sibi corpus assumit, & fit naturale nitrum. Nitrum autem sulphureum *a* auro sulphureo ex similitudine, in humida via facile adhæret, & commiscentur adeò, vt nullâ adhibi-

*a hæc est causa quod Aurum in spiritu salis solutum & idem alcali*

*præcipitatum non fit fulminans, redit enim in sal quod flammæ resistit,*

tionis arte ſeparentur, id eſt, cùm acidum nitri ab alcali combibitur; coagulatur in nitrum naturale, quod reperit ſulphur in auro ſoluto; cum illo, eoſdem ſcilicet mores habens, vt vtar verbis Hippocr. coagulum ſuſcipit, vt in calce oſtendi. Cum verò plus de alcali affuderis, vt nitri gradum ſuperet, tunc etiam nitrum in alcali deflectit, & aurum fulminans amplius dici non poteſt, quod in progreſſu clarius. Nunc vnde digreſſus redeo.

b *Anatron Crollio in lapide medicamentoſo. Suin de verre Gallicè.*

Sic etiam fel vitri *b* eundem contraxit ſaporem; ex aciditate ſilicis fit ſalſum, Mercurium enim planè non præcipitat.

Talci liquor (non oleum, vt vult ignara vulgi turba, flammam enim non concipit) Mercurium ex ſua ſede non mouet: vt neque.

Salia ex herbis diureticis omnibus, ſtipitum fabarum, geniſtæ, Hypericonis, Herniariæ, vrticæ &c. omnes, inquam, ſunt acidoſalſi, & Mercurium ex dicta ſolutione

lutione

lutione non præcipitant, cum verò alcalizantur acri flammâ aut fusione, tunc cadit rubidus.

Hinc liquet, quod veterum ille doctissimus, qui vitrum ignitum in cineribus stipitum fabarum extinguere iussit, & non in sale eius, rectè vitri vstionem instituit: ne nimirùm ab imperito Reformatore, sal imprudenter alcali naturam indueret, de quo suprà dixi *Cap. 5.*

Salia cinerum, ex classe vulnerariarum, vt betonicæ, Agrimoniæ, pyrolæ, veronicæ, stellariæ Alchimillæ &c. omnes fundunt planè salsum salem, ob id vitrificatione inepta, & Mercurium non præcipitant, qui eiusdem est saporis, vt dicetur suo loco. Omnia autem dicta salia per fusionis ignem, mutant naturam, fiuntque alcalia, vitrificantur, & Mercurium præcipitant rutilum. Hinc Zoar super Exodum notat, quod ex quouis cinere vitrum paratur: id est, quando in alcali reducuntur.

*Salis constantia. De illo dici potest: probasti me per ignem &c.*

Sal commune Mercurium ex dicta solutione non præcipitat; & licet per longum tempus, & celeri flammá concremaretur, nunquam fieret alcali, vt neque sub digestione mutat naturam, est ergò ex omnibus perfectissimus, & non sine singulari prærogatiua ab Helmontio, *salium summus*, vocatus.

Sic sal ex viperis Mercurium non præcipitat, nisi rursùs acidum & alcali ab inuicem separentur, de quo infrà.

Sal absinthij, est ex acido salsus, propterea Mercurium non præcipitat, vt neque spiritum vitrioli absorbet, sicuti docet Reformator *a* sub titulo *Spiritus vitrioli coagulatus*; cum vero alcalizatur, Mercurium pæcipitat flauum, & tunc etiam acidum spiritum vitrioli absorbet & vitrificat.

*a fol. 738. pharmac.*

Hinc discitur fortiori igne, quàm rei natura fert fixari, & in neutrum verti. Fiunt itaque quàm plurima solo ignis regi-

mine, non quidem vt ex orco in lucem auctum generentur, vt credit vulgus, huius Hippocraticæ doctrinæ ignarus, sed saltem simplici alteratione subiecti, vt docet meus Hippocrates *b* illique sciunt, qui internum cum externo harmonicè coniungere norunt.

b *libr. 1. de diæta.*

Sic quoque citra ignem, mutantur salia in diuersam à natiuitate naturam, vt: confunde pro exemplo liquorem salis absinthij non alcalizati cum rosmarino, solutio fit lactea, & ambo in neutrum coagulantur.

*Riuerij Febrifugum.*

Hoc ex fundamento procedit Lazari Riuerij Febrifugum, hactenus paucis cognitum, nobis tamen licet illud nonnihil manifestiùs declarare. Fit, inquam, ex vnico subiecto, alcali repræsentante, & binis acidis, omnibus ignem nondum expertis; sed per exaltationem toties repetitam, donec ex nigredine iterùm in candidissimum volatile salsum artificiale, gustui non ingratum,

conuerſum videas, cui poſtea additur quartus athleta ( id eſt diagridium ) vt conſtat in proceſſu.

Sed quis poteſt metamorphoſin enarrare, quæ ex ſalium permixtione exoritur? accedentibus illis huc, his verò illuc, & inter ſe permixtis, vt Hippoc. docet. a

*a lib. 1. de diæta.*

Notandum, quod ſal Fuliginis ex vegetabilium proſapia oriundus, Mercurium ex dicta ſolutione candidum ſpongioſum & & leuem præcipitat, ſicut omnium animalium alcalia volatilia, vt dicetur: ſin verò in ſalia conuertuntur, tunc non cadit amplius.

*Alcali Fuliginis ſit ſal.*

Hinc concludere licet, quod ferè herbæ omnes oleoſæ & quæ calidæ appellantur, & ſunt pingues, leui & ſimplici incineratione ſal alcali edunt: cui ſi Hippocraticus propriam reddit pinguedinem, conuertuntur arcanâ coctione in ſalſum admirabile; quod tunc Elixir paruum

vocatur à noſtris *b* magnarum virium in medicina, de quo ſuo loco. Reliquarum herbarum ſalia vel in imperfectè ſalſa vel in acida deflectunt; & acri flammâ, aut fuſionis igne in alcali vitrificans reducuntur.

b *Vide Ripleum, Baconem, &c.*

*Fuſoria ars porrò, alcalia, acida abſorbi docet.*

## CAPVT VIII.

OMnia mineralia, cuiuſcumque ſint generis, quæ metallica corpora abſconſa gerunt, aſſociata ſunt acidis (ſulphure nimirùm vario) quæ impediunt, quominus metallum ab impuritate fodinarum ſegregari poſſit. In hac anguſtia neceſſe eſt confugere ad alcalia, quæ celerem præſtent opem.

In puluerem itaque reducunt minerale, idque alcali commiſcent, ac in crucibulo fundunt;

fusionem nitro accelerant, quod cum sulphure accenditur, & pro parte deflagrat; pars verò cum tartaro in alcali vertitur; istud alcali absorbet omne acidum, quocum aliàs metallum aufugeret, sed hac viâ facilè petit fundum, idque artistæ Regulum, id est purum metallum sulphuribus priuatum appellant: quod rursùs sub cupella probatoriâ cum plumbo vlterius ad puritatem deducunt, de quo vide docimasticos: mei saltem est de salium fundamentis loqui.

*Metalli præcipitatio per alcali.*

*Argentum fugit cum acido minerali.*

Dixi metalla ab acidis mineralibus in fumum verti, quod in argento, fuso cum plumbo in testa ex cinere facta & lauata manifestum fiet: in hanc frustulatim inijce sulphur, cuius aciditas cum fugit, etiam metallum in fugam vertit, quod recolligere licet madido linteo in camino expanso.

Aliud experimentum quo probatur, metalla ab acido minerali in fugam verti, est cemen-

tum illud quod Regale vocant, fitque ex ſale communi & laterum pulueie, quo cum ſtratificant aureas monetas cupro ligatas, hoc in cemento, aurum ſine fuſione dimittit cuprum, ſimulque cum acido ſalis ſpiritu in fumum abit, qui tamen etiam de auro nonnihil ſecum aufert: ſed cùm ſpiritus acidus, auro grauatus tentans coopercula teſtacea tranſire, præcipitatur aurum, & cooperculis adhæret, dum ſpiritu hæc rodit, quæ poſtea conteruntur, cum argento viuo & aqua, quod aurum recolligit, & hero ſuo reddit, quando per corium ab illo ſeparatur.

*Aurum fugit cum acido minerali.*

Quemadmodum mineralia metalla ferentia in regulum, eadem viâ ex Antimonio regulus præcipitatur, cum Tartaro nimirùm & nitro, eo quòd Alcali tartari, acidum ſulphur ab antimonio combibit, purumque regulum ſegregat.

*Regulus Antimonij.*

Funditur quidem etiam anti-

monium, cum ſale communi, ſed huius aciditas rodit antimonium in ignis tortura, eleuatur in bullas minúſque cadit reguli. Hæc exempla de præcipitatione in via ſiccâ ſatis ſunt.

Sic alcali quoddam in aqua ſolutum, (viam humidam appellant) vt ſemper acida abſorbet, mundificat etiam ſalem petræ ab omni acido, quem ideò emunctiores Medici in angina pro ſummo refrigerante elegerunt; ob id ſal prunellæ vocari cœpit (quidam ex ignaris patribus, cum fortè laudari à noſtris audiuiſſet ſal prunellæ, acceſſit noctu ad pharmacopolam peritiſſimum: Sal prunellæ, inquit, paraturne ex prunis ſilveſtribus, vel domeſticis? Hi à vulgo, idiotis & mulierculis ſimplicibus, canonici vocari amant) coquunt inquam nitrũ in lixiuio alcalizato, donec gutta in frigido ferro conſtat ſicut ſeuum, tunc in frigidum locum ſeponunt, ſine effuſione in aliud vas, & per noctem in

*Nitrum cum ſulphure comburum in angina magis nocet quam prodeſt. Salſum enim euadit.*

ſtrias concreſcere permittunt nitidiſſimas & puriſſimas, quas ſequenti mane abluunt. Alcali enim, omne acidum nociuum & impurum ab illo abſorpſit, *Sicut in humano corpore etiam contingit*, vt docet Hippocrates 1. lib. de diæta.

## *Privilegiatum Alcali Tartari.*

*Salis Tartari prærogatiua.*

### CAPVT IX.

Dixi, quod inter fixiora alcalia, ſal tartari gaudeat ſingulari priuilegio, & licet ſit corpus graue, terreſtre, impurum, & ſordibus inquinatum, digeſtus tamen cum quocumque metallo *a* per debitum tempus, id conuertit in Mercurium currentem; quod expertus incredulis pro veritate affirmo: ſi qui verò credere id nolint, parum ſollicitum me reddit.

*a Aurum eſt ferè torũ ſul phur minimum dat mercurij, omni ô*

Amicus quidam, cum tartarum

ex vino generoſo, maturo & claro quærebat, eliciebat ſpiritum, & exhalare permittebat phlegma, craſſum remanens vt ſyrupus, in frigido concreſcere permittebat in tartarum pellucidum, quem exuſſit & aquâ communi, vt moris eſt, alcali extraxit, quod in liquorem ſponte decurrere permittebat. Obtulit ſe occaſio, vt hic inopinatè Romam pergere deberet cum magni nominis viro, vt interim non periret prætioſus liquor, iuſſit famulo liquorem aſſeruare in tali vaſe, quod indicabat. Famulus per errorem, hunc fundit in aliud vas vicinum, ſimile priori, in quo erat argentum, in aqua forti ſolutum, cui ſuperadditum fuit ſal armoniacum ſublimatum, & aceto diſtillato ſolutum, pro alio opere inceptum; redijt amicus poſt nouem menſes, quærens liquorem tartari, ſed cucurbita famulo aſſignata erat vacua; eò quod hunc famulus in vicinam infuderat: non autem ibidem li-

quorem, sed aridam terram (per nouem menses exsiccatam) inuenit, quam baccillo tetigit, & magna pars Mercurij currentis sese manifestauit, tunc temporis non credidit ex perfectis metallis Mercurium currentem fieri, sic persuasus iuxta axioma, quod *facilius sit metalla perfecta construere quam destruere*, & experimentum neglexit, sibique persuasit casu quodam Mercurium in vas incidisse. Tandem ex Basilio Valentino didicit, quod tartari sal, præ omnibus reliquis hanc haberet prærogatiuam.

*Mercurius ex argento.*

Hoc experimentum confirmabat ingeniosus Helmont *a* his verbis. *Sensi*, inquit, *cruditatem saturni pinguedine fixorum salium solubilem, sicque diuidi partes compositi, vt crudum argentum currere permittit.*

*a Tractatur potestas medicaminum, §. 40.*

Tunc memoriæ subuenit lixiuium forte, quocum vetulæ coquunt litargyrium ad capillos denigrandos, (quod habet etiam

I. Porta in magia naturali) cui inſtillaui ſpiritum vitrioli, & ſtatim alcali permittit metallum in album puluerem cadere, quem reduxi in plumbum; certò itaque cognoui, quòd alcalia, metalla calcinata, in ~~horum~~ ſuo ventre inviſibiliter abſcondunt.

Habito hoc experimento, pergit Helmont; *Calcinata acerrima*, inquit, *cum ſale armoniaco reſoluto, & tartaro putrefacto, dulcorantur*: id eſt, vertuntur in Mercurium currentem, qui non eſt ampliùs acris vel mordax vt calcinata, ſed linguæ inſipidus.

Nunc redeo ad ſal tartari, quod liquoris forma in cucurbitam fuit fuſum, in quo erat argentum aquâ forti corroſum cum ſale armoniaco. Hæc omnia naturam in ſalia neutra & diuerſa à priore ſtatu; ſic argentum non referebat ampliùs faciem argenti, de quo Baſilius [a] in tractatu de tartaro.

[a] *Lib. 1. de magno mundi miraculo.*

Per

*Per meum Spiritum vt se se*
*vindicent,*
*Et omnia metalla omni-nò*
*corrumpant.*

Sicut enim omnia sublunaria, experientiâ teste, ex duobus, ACIDO nimirùm & ALCALI constare (vt in hoc scripto mechanicè) ostendam: id etiam de argento intelligendum volo: huic argento, alcali tartari per debitam digestionem & coctionem, tantum acidi Sulphuris absorpsit, quantum Mercurio in argenti statu (ab eo nunc segregato) pro sui constantia satis erat: in Mercurij locum successit alcali (adulterium vocant Philosophi) quod ab argento amplectitur, perdit ideò formam & pulchritudinem, & mutat eius naturam; ita vt liquetur leuissimo igne, sicut plumbum, vel sal armoniacum mistum cum calce silicum; vocaturque à Crollio a Luna cornea,

*Diana nuda.*

a *Luna cornea.*

eò quod cornuum inſtar, cultro ſciſſilis eſt. Hæc cornea luna, licet centies aquâ calidâ abluere-tur; *a* liquareturque celeri fluxu ex tartaro & nitro; ſeparare tamen ab inuicem poſſibile non eſſet, niſi in ſaturni balneo: in quo quicquid argenti ſupereſt, redit in purum: ſalia autem cum plumbo, in ſcoriam & litargyrium; quod etiam rurſùs ſimplici fuſione in plumbum reducitur: ſcoria verò quæ ſalia erant, in Elementa rapiuntur, ſimul cum argenti ſulphure, quod abſorpſerant.

*a vt de auro fulminante alibi dixi.*

*Vacuum in natura demonſtratur per artem.*

## *Vacua eſſe Alcalium corpora exemplis oſtendit.*

### Capvt X.

SAl tartari itaque eſt medium, in quo reuiuiſcunt non ſolum metalla, ſed etiam mineralia, licet per artem & ignem

validum videantur planè destructa.

Guttatim affunde sali tartari resoluto, spiritum vitrioli, donec cessat strepitus, liquorem reduc in cristallos, vel totum exsicca, & reperies sal vitrioli naturam habens; vomitus mouet, & quando superbibitur, per secessus purgat, vt album vitriolum solet: si commiscetur cum nitro & argento viuo, sublimatur in rubrum; cui si addas sal commune, fit sublimatum corrosiuum: distillatur per se vt vitriolum. Albicans mucilago in fundo subsidens, est eadem fæx, quæ in soluto crudo vitriolo, affusione salis tartari decidit nigra. Constans in igne, sicut colcotar vel caput mortuum vitrioli, & fusioni resistit: quod tamen sine spiritus vitrioli affusione, facillimè fluebat. Istud sal fixum & vitriolum regeneratum, à tyrocynij scriptoribus, *Tartarus vitriolatus, & vniversale digestiuum* appellatur.

*Vitrioli regeneratio.*

Multò præstantior & perfectior fit ex vitriolo crudo in aqua soluto, & liquore tartari affuso, donec non ampliùs turbatur, quod punctum saturationis cum tædio reperitur vnicâ nimirum guttulâ superantis, vertit misturam aut in vitriolum, aut in alcali: de quo meus Hippocrates *a*: *Nunquam simul in eodem consistunt.* Clarum liquorem coagula in cristallos splendentes: hic nobilior est priori, eò quod distillando vitriolum, violentus ignis cupri liquamen eleuat, spirituique commiscetur, ac stomacho molestum est. In hac autem simplici via, alcali absumit saltem simplicissimum illud acidum naturale, quod embrionatum metallum perfluendo erodit. Hoc est illud acidum simplex, naturæ nostræ amicum, in acidis fontibus refocillans naturam bibentis, ventriculo gratissimum, licet in magna copia haustum; de hoc breuissimè differere decreui. Paracelsus tamen narrat *b* quod in

*a Lib. 1. de diæta.*

*b de morbis tartareis.*

pagulo Veltin Heluetiæ, sit fons, similem totius mundi ambitum non continere.

*Nitri regeneratio.*

Sic etiam spiritus nitri, reinduit corpus in sale tartari, fitque naturale nitrum frigidum, flammam concipiens & anginæ remedium, quæ aliàs separata, caustica erant, vt in auro ostendi fulminante.

*Salis communis regeneratio.*

Eidem sali tartari si addideris spiritum salis, tunc post coagulationem fit sal commune, quod extitit priusquam per validum ignem in spiritum fuit conuersum; adeòque cum acidus salis spiritus soluendo redit in sal, mirari desine, quod inter omnes acidos spiritus, nullus alius aurum dissoluit, nisi salis: eò quod rodendo, reinduit salis naturam; sicut aqua, vulgò Regia dicta, quæ sine sale aurum non tangit.

*Quare inter acidos, solus salis spiritus soluit aurum?*

*Tartarus regeneratus vocatur ineptè à quibusdam.*

Idem sal tartari, si combiberit acetum ex vino distillatum, fit tartarus vini vulgaris, omnes eius proprietates habens excepto quod in humido faciliùs liquescit.

*Terra foliata Philosophorum.*

Hunc tartarum regeneratum, per solutionem mundifica ab omni impuritate, posteà per retortam vitream in arena positam valido igne distilla, & elicies oleum & liquorem amarum, sicut ille qui ex tartaro crudo: refert tamen oleum, vini bonitatem, ex quo acetum factum fuit. Incredibile dictu, quod acetum distillatum, in sinu suo pinguedinem absconditam habeat, & tamen verum est sal tartari hanc non habuisse, est enim fixum & in igne probatum. Romæ ex libra vna huius regenerati tartari, olei drachmas sex elicui, citrini coloris, gratique odoris; sed Venetijs, libra vix drachmam dedit, & nitri coloris grauèque olentis. Incredibile, inquam, quod in aceto eluceat non solum vini, sed etiam regionis qualitates; ex dictis nunc liquet, quòd acida ducunt alcalia ad suum velle, eisque prædominantur ad lubitum.

*Acetum distillatum fit oleum pingue flammam concipiens.*

*Quid iucundius quam ea noscere & sub amico silentio oculis cernere, manuque tractare, qua sensus communis planè non comprehendit, & à natura procul posita sunt.*

Sic olea vel distillata vel expressa, reducit in elementa pri-

ma; miſta ergo iuſtâ proportione, id eſt ad ſatietatem cum ſale tartari, & digeſto, poſteà ex retorta vitrea in arenam poſita, redit medietas olei, altera medietas eſt aqua; hoc oleum rurſùs commiſce nouo ſali tartari, vt ſuprà, repete diſtillationem, ſic totum oleum conuerſum videbis in āquam relictâ pauculâ terrâ cum tartaro, quod pondere cognoſces auctũ. Oleum igitur, quod aliàs totum erat inflãmabile, hîc conuerſum videbis in aquam odoriferam; quam rursùs ex phiola diſtilla, & elicies aquam ardentem; quæ denuò cum ſale tartari in alcali, & poſteà in elementalem aquam reuertitur, ſimilisque iſti, quæ in phiola remanſit

*Oleum fit aqua.*

*Oleum fit aqua ardens.*

*Aqua ardens fit alcali & aqua elementalis.*

Remanentis ſalis tartari in retorta, erant libræ duæ; quod ferreæ tabulæ impoſui, vt in pellucidum liquorem deflueret. Ex retorta, in arena poſita, diſtillaui omne humidum, & vaſe rupto ſal in fundo, ite-

rum in aëre dissolvi, supra lamina ferrea (quæ quicquam non patitur) quod fit circiter 40. horis, & nihil restat in tabula, præterquam tantillum limosæ fecis; liquorem iteratò distillaui, aucto igne vt priùs, donec nihil ampliùs neque stillans neque fumans exibat, & rursùs idem sal, fractâ tetottâ, ferrea lamina resolvi, hasque operationes duodecies reiteraui, & omne sal tartari conuersum fuit in aquæ elementum. Fæces, laminâ relictas, singulis vicibus collegi, & aquâ distillatâ omnem salsedinem extraxi, quibuscum eundem processum, vt suprà, habui, adeò vt omne sal tartari, sicut acetum, oleum & aqua ardens, in aquam insipidam, & terram mortuam, nullius saporis aut odoris sit conuersum, quæ terra & aqua paulò ante causticum referebant. Mirum dictu! quorsum abijt ignea vel vitalis vis & potestas, tam olei, aceti, aquæ ardentis, quam salis tartari *a*. Hæc tamen virtus

*Sal tartari vertitur in Elementa simplicia.*

*a Memento quod*

vel forma constans in igne persi- stebat, vsque ad reductionem in elementa: hanc ego nunc RECTOREM nomino pro maiori intelligentia, de quo suo loco clariùs disputabimus; voca vt lubet ignem, formam, Archæum, hæc mihi perindè probantur: omnia similia sunt, dissimilia existentia: concludo cum Hipp. *a.*

*vetus est vita mea.*

*a libro 1. de diæta.*

Si alcalium fixorum notitiam habuisset Reformator, podagricis *oleum saponis Veneti* non promisisset *b*: nam quicquid olei à sapone stillat, est laterino simile, & nihil de alcali continet. Sic etiam qui saponis corpus dissolvunt, aiuntque podagricis conferre, in maximo sunt errore; fructum enim quem percipere sperant, docet sapor, qui planè salsus deprehenditur; Mercurium enim ex supra dictâ solutione non præcipitat.

*b in appendice ad animaduers. fol. 14.*

Alcali tartari itaque videtur quodammodo typum repræsentare Philosophorum Chaos, in quo aiunt, reuiviscere eorum

*a Libro de natura rerum.* Mercurium : de quo *a* Paracelſus : *Regeneratio*, inquit, *& renouatio metallorum fit ita : quemadmodum homo redit in terram, ex qua primò fuit deſumptus, & ita rurſus in die nouiſſimo regenerabitur; ſic & metalla iterùm poſſunt in Mercurium (ex quo primo nata ſunt) abire, & cum illo ſolui, & Mercurius fieri, & iterùm per ignem (qui etiam indicabit mundum) renaſci & clarificari. Hac viâ*, inquit, *generantur lapides, & tinctura ſpeciales* b *argenti vel auri*, Hactenus Paracelſus. Intereà ego nemini autor ero vt ſibi perſuadeat, ſal tartari, quocunque modo præparatus ſit, Chaos Catholicon Philoſophorum eſſe, licet metalla in illo, in Mercurium currentem redeant; id paucis admonuiſſe ſat eſt.

*Sapit qui hoc intelligit.*

*b De quibus Rogerius Bacho, Ripleus, Iſaac Hollandus, cum iudicio, tamen legendi sũt.*

*Exemplum Acteonis abſterret:* Nunc Harpocrates de tartari ſale fixo me ſilere iubet, ne in doctorum virorum curioſas inveſtigationes ſim iniurius, qui multùm laboris ſumpſerunt ad

huius plenariam cognitionem, quod profectò medium est viuificatiuum multarum rerum. Id notarunt Basilius, Paracelsus & alij, qui illud vestibus spoliarunt, & pro soluente elegerunt; quandoquidem obiecta sua illuminat & viuificat; eodem ferè modo, vt alcali herbarum fixum, extrahit è calcinato silice aliud & simile alcali, quod quidem nullo alio sapore elicere sit possibile, quam suo simili; illud multò potentius efficit, & verè in igneam naturam conuertit: sic à notis ad ignota fieri debet progressus, vt Aristoteles rectè docuit.

*Spiritus Academicus Mysterium hoc non capit.*

Hoc est quod vociferatur Io. Bapt. Van-Helmont, a *disce*, inquit, *dissoluens aliquod, quod sit semper idem*, & *nactus* eris *intimas rerum essentias*: quod probat exemplo dum quærit, b *labi ossifragus fixus, non calcinabilis, curat os fractum, assumptum per os, & quare non lithiasin & podagram?* Respondeo viro

a *De febribus cap. 15. §. 25.*

b *Tract. de verbis herbis & lapidibus.*

incomparabili, quod Reformatoris ridiculus ALCAHEST, & secretum soluens, nil aliud est, quam ACETVM DISTILLATVM *a* ex ærugine, & licet rodat osteocollam lapidem, rodendo acquirit lapis proprietates aceti, vndè non pergit ad vrinæ loca sed in stomacho illico præcipitatur, vt paulo post ad oculum demonstrabitur.

*a Appendix ad animad versiones fol. 72.*

Sal tartari itaque hactenus vilibus vestibus suam scenam lusit; cum verò Phiosophi manu spoliatur, vt compareat in forma nuda, lucida & resplendenti; tunc res, quæ illi committuntur, reducit in eandem & similem sui materiam, (memor oculos cancrorum sic solutos, in longa quotidiana febri, mulieri, quæ abhorrebat pocula medica, me porposuisse; timidus me interpellabat medicus canonicus præsens, esse minerale, & periculo plenum) & quoniam informis, vt omne alcali, accipit formam eius quocum vnitur (est nimirum sal

*Multa nescientes, multa timere, necesse est.*

ſal tartari medium quoddam inter minerale & vegetabile, ob id facilè amborum naturam amplectitur) & ſic pergit &c. Hæc de differentia alcalium fixorum indigitaſſe ſufficiunt.

## *Nunc de Alcali Animalium volatili.*

### CAPVT XI.

QVemadmodum alcalia fixa, acida omnia abſorbent, & iuxta acidi naturam in ſalſum mutant, vt ſuprà oſtendi; ſic etiam alcalia volatilia omnium animalium, ex quorumcunque partibus elicita, etiam in ſalſum vertuntur, acidi proprietatem imitantia. Et quemadmodum vrina continet alcali volatile, per fermentum *a* putredinis; ſic ſudor, ſanguis, caro, oſſa, & carnes omnium animalium diuerſo fermento, quodlibet iuxta

*a quid ſit fermentum, paulò poſt oſtendam.*

virtutem loco innatam. Et ſicut de alcalibus fixis, differentiam intrinſecam cum Mercurio ſublimato ſoluto, & in ſale tartari ſingularem prærogatiuam; ſic & in his volatilibus ſuam rempublicam in progreſſu oſtendam.

Omnium quidem animalium alcali, vrinæ, ſanguinis, ſudoris (etiam calculorum omnium animalium) ſerpentum, ranarum &c. ſimile quiddam eſt. Mercurium ex ſupradictâ ſolutione præcipitant coloris candidi, ita vt nullam differentiam hac mechanicâ cernere licuerit; adeoque hoc alcali non eſt ſaporis ſalſi, vt Reformator ſolâ opinione docet: ſalſa enim, vt demonſtravi, Mercurium ex dictâ ſolutione non præcipitant; recipit autem formam iuxta acidi proprietatem, vt clariùs in progreſſu patebit.

*Alcalia omnium animalium ſunt ſimilia, & vacua corpora.*

Hanc mumialem vel ſpecificam differentiam (quam occultam vocant) notarunt veteres: ob-

*Occulta qualitas eſt fermentum loci, de quo poſteà.*

ſeruarunt, inquam, quod alcali volatile combibit tantùm de ſale cireniaco, quantùm pro ſui conſtantia & ſaturitate ſufficeret, pro ſale armoniaco artificiali; adeo vt alcali vrinæ, cum acidâ parte ſalis dicti, tam ſtrictè ſeſe inuicem ſunt amplexa, vt per ſe diuortium non patiuntur: ſal enim vrinæ, cum in ignis tortura fugam tentat, rapit ſecum acidam partem, quam ſorpſit, & ſimul ſublimantur in ſal armoniacum artificiale.

*Sal armoniacum artificiale.*

Quod verò ſal commune, vel noſtrum, vel armoniacum Veterum habeat acidam partem, extra ignem communicabilem, id probatur hac mechanicâ.

In ſal nimirùm reſolutum ſtilla liquorem tartari, & in paucis momentis videbis terream partem ſeparari, & alcali tartari acidum amplecti, de quo clariùs poſteà. Sic citra diſtillationis artem, Veteres viperinum alcali, ſali armoniaco naturali aſſociare tentarunt.

*Sal commune acido-ſalſus.*

Veteres itaque postquam occultam alcalium ( ex animalibus ) volatilium differentiam, & salis communis & cireniaci aciditatem ex Hippocrate *a* sub facultatum nomine animaduerterunt, cæperunt stratificare viperas, cum sale armoniaco vel cireniaco naturali, vt ait Plinius suprà citato loco; sicut viderunt de vrina & sale, eo fine vt viperarum alcali combiberet tantum de acido sale, quantum sufficeret, ne sponte in fugam abiret. Hanc compositionem tunc non sine leui coniecturâ vocarunt sal Theriacale, eò quod didicerant viperarum carnem, multa venena superare ( imo ingenioso viperino decocto, non semel Gallicam luem in delicatulis extinxi ) ac consequenter, ratione mumialis fermenti, eandem facultatem alcali viperinum continere debere, signum est.

Hæc Veterum contemplatio, non tam *infantilis & absurda* videtur, vt Reformator *b* in

*a* Lib. 1. de diæta.

*b* fol. 481.

textu ſcribillat, is ipſe ſanè abſurdior multò, quod auorum memorandas excogitationes non intellexit. Quod verò illis inijcit *non habuiſſe purificandi artem*, verum quidem eſt, ſed propterea non ſunt calumniandi, neque honor illis detrahendus, multò minus cachinno exponendi, ſic enim iubet Doctor meus: poſt multa ſæcula fortaſſe deridebitur & Reformator, quòd tam abſurda ſuo tempore ſcripſerit; nunquam enim deerit occaſio, poſt mille millia annorum, noua & meliora inueniendi & addiſcendi, eò *quod rerum natura a ſacra ſua, non ſimul tradat: illius arcana non promiſcuè, nec omnibus patent reducta, & in interiore ſacrario clauſa: ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, accipiet.* Audi & Hippocratem meum multò modeſtiùs de hac re loquentem *b*. *Immeritò vllus ipſorum reprehendatur*, inquit *propterea quòd inuenire non poterat; imò lau-*

a *Seneca li. 7. quæſt. natural. cap. 31.*

b *Lib. 1. de diata.*

*dandi potius omnes, quòd inuestigare conati sunt.*

His intellectis, videamus nunc qualem prærogatiuam & præcellentiam habeat sal viperinum Reformatoris præ Veterum inuentis; quod illi præparare tentarunt facili operatione: hic magno sumptu, operoso labore, pomposo, & solenni ostentatione ac triumpho.

*a Pharm. fol. 486.*

Distillatum viperinum alcali (sub titulo *a* proprio) ex retorta, combibit spiritum salis communis acidum, quem ostendi citra distillationis artem, cum addito alcali, separabilem esse: ex illâ copulâ, acidi nimirum salis & alcali viperini, fit sal commune.

*b Sal viperinum Reformatoris est sal commune.*

*b* Istud sal commune, cum igne arenæ si presseris, eleuatur in sal armoniacum artificiale, omnes eius proprietates habens, quod probatur hac mechanicâ.

Commisce puluerem salis tartari, id est, alcali tartari fixum cum æquali parte salis viperini Reformatoris, hanc mixturam

diſtilla per retortam in arena poſitam, & videbis ſtatim alcali ex viperis per collum aſcendere, eò quod fixum alcali tartari, apprehendit ſalem acidum; tunc alcali viperinum acidum ſocium lubens derelinquit, dum cogitur à calore in fugam abire. Fac idem cum ſale armoniaco vulgari, & differentiam nullam deprehendes: adeòque quod Veteres cum ſalis corpore, Reformator cum ſalis ſpiritu, maiori cum labore & ſumptu perficit: & ſi Veterum ſal viperinum erat inutile, vt ait Reformator, ſic & ſuum eandem habebit proprietatem. Cum verò iſtud alcali, ex ſale armoniaco vulgari, cum ſale tartari ſit pulſum, tunc habebis ſpiritum vrinæ vel alcali vrinæ purum & ſiccum, quem Reformator ineptiſſimè *ſpiritum ſalis armoniaci ſalſum* vocat: ſicut & eadem ſtupiditate illud acetum, quod ex farina cum ſale armoniaco commixtâ ex retorta diſtillat, *ſpiritum ſalis armoniaci*

*Alcali viperinum purum.*

*Alcali vrinæ purum.*

*a appendix ad animaduerſ. fol. 73. & 74.*

*acidum* appellat *a*, additque hanc ſeſquipedalem craſſitiem; *hi ambo ſpiritus, ex ſale armoniaco, acidus & ſalſus* (& ambo ne guttam quidem de ſale armoniaco continent) *ex vno ſubiecto licet producti; ſibi inuicem tamen contrarij ſunt, ac ſimul iuncti ſeſe mutuò deſtruunt: propterea pharmacopæi, ſalſa & acida diſtinguere ſciant.* Sed Reformator eos admodum ruſticè de ſaporibus informat, imò docere alios præſumit quod ipſemet ignorat: inter infinita alia mihi teſtis eſt aqua ad Auditum Mindereri.

*Aqua ad auditum Mindereri.*

Hæc enim aqua pro fundamento habet vrinam & acetum, hanc mixtionem non ſolùm reprobat Reformator, quatenus credit ſine vlteriore inquiſitione, *ſalſum & acidum inter ſe planè deſtrui*: ignorans quòd deſtructio vnius, ſit generatio alterius; ſic opiniones ſuas, vt ſimia catulos ſuos amplectitur: ſed inſuper conuitijs, opprobrijs & calumnijs aſpergit virum optimum,

qui experientiam candidè & ſine fuco, publico bono communicauit. His licet omnibus cognitis, Reformator more ſuo in Appendice *a* ſic ſcribillat: *præter plurima abſurda, video acetum & vrinam affundi, quæ inuicem planè contraria ſunt: nam vrina animalis diſtillata præbet ſpiritum ſalinum acrem, acetoſorum ſpirituum omnium deſtructorem.* Hæc ille.

a *Ad animadu.* fol. 336.

Hactenus autem demonſtraui ego, vrinæ ſal volatile nullo modo eſſe ſalſum, ſed alcalizatum, & ob id acido miſtum, fit ex his duobus ſapor ſalſus: ex conmiſtione igitur alcali volatilis vrinæ, & aceti diſtillati, quæ ambo nunquam concreſcunt, fit diſtillabilis, ſalſus & penetrantiſſimus liquor; & dubito vtrum in natura ſit aliquid ſubtilius (à ſimplici commiſtione) in antiqua oppilatione: ea de cauſa Mindererus ingenioſiſſimus, rectè & ſincero iudicio, hunc in obauditione & auditus difficultate, lau-

*Sine læsione & dolore, corneam tunicam peruadit, & maculas albas in pupilla à variolis ibidem relictas dissoluit.*

dat & proponit, eò quod salsus sit sudor, vt probabitur, & propter symbolum, hæc distillata aqua salsa & volatilis, membranã tympani peruadit, imò lubenter admittitur. Dixi salsum esse hunc spiritum, probaturque experientiâ: Mercurium enim ex sæpiùs nominatâ solutione non præcipitat, sicut & reliqua salsa, quæ iuxta Galeni sententiam incidunt, attenuant, discutiunt excrementa, siccant, virtutem colligunt & roborant, & id in rudi salis mole, quid ni spiritus hic subtilissimus salsus? Iudicent nunc periti, numnè indignè perstringatur hîc ab impostoribus Mindererus ille doctissimus? Reformator Hippocratem malè intellexit, vbi *Medicum*, inquit, a *ratione vtentem, alterum nunquam inuidiosè calumniaturum, sic enim animi impotentiã prodet.*

*Inscius quæ non capit, carpit.*

*a Præceptionum lib.*

Videamus nunc sal tartari, quod acidum combibendo, ab alcali viperino separauerat, & in retorta remansit, illud vocant

(ſed indignè) caput mortuum, præſertim illud à ſale armoniaco vulgari; è quo ſpiritus vrinæ prolectus eſt: iſtud caput mortuum, ex acido & alcali eſt compoſitum, & erit ſine dubio ſalſi ſaporis, ſicut ſal viperinum Reformatoris, vt & ſal armoniacum vulgare, ſicut ſæpiùs dictum & oſtenſum fuit; repeto hîc aliud mechanicum pro confirmatione.

Diſſolue dictum caput mortuum in aqua, fac vt fæces fundum petant, clarum liquorem leni calore coagula ad ſiccitatem, & cum bolo in quadrupla proportione commiſce in ſubtiliſſimum puluerem, hunc ex retorta vitrea luto obductâ, nudo igne vrge in magnum vas recirecipiens; tunc acidum ſalis quod corpus in alcali tartari reperiebat, à potenti calore fugere cogitur; in magna autem ignis procella ſolus fugere nequit, eo quòd ab alcali fixo abſorptus: rapit ſecum ſal tartari fixum, ita

vt ex acido & alcali mixtis, & violento igne pressis eliciatur spiritus semi-acido-salsus; qui, vt est ex diuersa mixtione generatio artificialis, Mercurium ex supra dictâ solutione non præcipitat; medicinis tamen, per se, vt & mineralia quædam destruenda non invtilis: peractâ autem vnicâ operatione, pars tartari in aquæ elementum redit, & salis armoniaci aciditas ex altera tartari parte, sibi nouum corpus reinduit, qui rursùs sublimatur & separatur.

*Spiritus salis armoniaci reassumit corpus in tartaro,*

Quærit curiosulus quare hoc loco elicitur spiritus ex tartari fixo alcali & volatili acido, & supra ex silicum alcali, & spiritu salis acido non succedere? cui respondeo, quòd salis tartari acrimonia in non admodùm vehementi igne, planè in nihilum abit, vt alibi ostendi, hac de causa cum socio facilè in spiritum eleuatur: sed silicum alcali est fixius, quod priusquam fugit, potiusque cum adiuncto in vitrum vertitur.

*Alcali*

## *Alcali Volatile, quomodo in animalibus & eorum partibus generetur.*

### CAPVT XII.

DIxi in examine aquæ Mindereri, ſudorem (à naturali protochymico) ſalſum fieri, ſicut etiam omne compoſitum ex acido & alcali vrinâ non excluſâ; quod probat hæc mechanica,

*Sudorem voco, aut inſẽſibiliter tranſpirans, aut abluens, hic perinde nunc eſt.*

Accipe lixiuium iſtud, in quo ſordida induſia fuerunt macerata & lota, non cocta; hoc lixiuium indè phiolæ longi & ſtrictiſſimi colli & æqualis appone, alembicum negligenter ſaltem, & in digeſtionis balneum vel arenam colloca, tunc paucis in diebus videbis aſcendere alcali ſudoris, non tamen fætens, ſicut illud quod de vrina ſublimatur.

Hoc alcali non ſeparatur à ſu-

*Alcali sudoris purum.*

dore, nisi eius salsus sapor diuiuidatur, qui constat ex acido & alcali ambobus volatilibus, sicut in aqua Mindereri & vbique ostendi. Lixiuium igitur est alcali fixum; absorbet acidam sudoris partem in calore digestionis; & alcali fugax ab eo diuisum, altum petit & frigidum locum.

*Sudor salsus & pinguis.*

Sudorem salsum, volatilem, pinguem, & propterea penetrantem & resolventem obseruaui, iter faciens cursorijs equis (postam vocant): & licet ocreis ex electissimo corio consutis & cerâ perunctis, crura defendi, nec pluuiam neque aquam permittentibus; equorum tamen sudor, vaporis modò exhalans eas penetrauerat; ita etiam euenisse notaui magnæ conditionis socijs. Pro euitando autem huiusmodi incommodo, vnguentum excogitaui instar vernicis, quod aliàs aquis fortibus resistit, tunc in secundo itinere, minùs quidem incommodi, primis diebus sensi: subsequentibus tamen

ſudor non ſolùm vernicem penetrabat, ſed illum quo vaporis modo tetigerat, planè diſſolvebat. Hinc didici ſudorem ob id à natura ſalſum eſſe debere, vt reſolveret ſordes in corporibus viuentibus, hinc inde coagulum ſuſcipiens.

Quomodo autem omnium animalium ſudor, & quicquid inſenſibiliter exhalat & expirat, imò ex quo animal conſtat, ſalſedinem acquirat; nonnihil dilucidiùs explanabo, ſolius ſalis viperini gratiâ, cuius aciditas vt eſt occulta, ſic etiam ſalſedo tantò ſubtilior gratiorque. Huius inuentorem me eſſe profiteor, vt vt crepent ilia momo: quod ſequens epiſtola teſtatur. Et licet propter paruum lucellum in hoc theatro, multi homines imperiti, (homines aio naturæ inſtrumentorum & Hippocraticæ huius doctrinæ rudes) ignauique conſederint, qui non ſine nominis mei detrimento, neſcio quid improuidis & inexpertis obtruderint;

*Salis viperini inuentio.*

ſciant tamen lectores, quòd ea hactenus clariori ſermone nulli mortalium expoſui, quam publico hoc ſcripto.

*Naturæ & artis Hermeticæ ſtudioſiſſimo,*

*Ottoni Tachenio Marcus Aurelius Seuerinus rem benè agere.*

*Epiſtola.*

*Quam beneuolentiæ tuæ, ante hac habui fiduciam, eam mihi præſentem re ipſâ comperi. Quapropter & ſalis tui viperini deſiderio meo vix ſignificato, continuò ſatis feciſti, de quo quàm plurimas humanitati tuæ gratias ago. O vtinam, ſi liberet fortè fortuna vadoſam Hadriam cum florentiſſima Parthenope commutare, non equidem ab re & ab emolumento tuo putarim. Accedit quòd lectiſſima matrona, quam caligantem Neapoli viſitaſti, ab hac ipſa die te ſemper auit ab inſtitu-*

*tâ tuâ peregrinatione præreptum. Quoniam verò vipereum mihi donum tradidisti, & vipereum ipse reddam: volumen, inquam, de viperæ natura, veneno, medicina Patauinis à me formis editum, quod à magnifico Typorum magistro, Paulo Frambotto, meis his ostensis litteris quæsibis meo nomine. Impertiet autem liberiùs, siquidem obseruationes multæ frugis, quam ex vsu viperino feceris diu, communicaturus, te receperis correctori clarissimo Ioanni Rhodio amico meo spectatissimo, qui si res ferat, addere valebit operis calci. Vtinam autem & aliquam præparationem salis viperei descriptionem coagmentare de tuo possis. Salis ego volatilis apparatum, ex Ioanne Vepfero posui. quam quantum ipse probes indicato, & me cæterum vehementiùs deinceps amato, qui te non obscurè colo, ac Neapoli, si quid aliud exopto; sed quam aut quando eius mihi fælicitatis spem exhibes? neque enim*

*Multi inimici propter veritatem, plurimum honoris, apud intelligentibus: antiquum prouerbium.*

*hac tua foret infructuosa seges. Optimè vale : Neapoli idibus Maij Anno 1650.*

*Saluere te iubet illustrissima Matrona Capicij Regentis vxor; cui viperinum adiumentum obtulisti.*

Sed, ad quid Doctorum virorum testimonia hîc adducam? scriptum præsens satis denotat, quod ante me Reformatori, hic sal cum omnibus requisitis eius, ne quidem per somnium in mentem venerit; quod proprijs eius litteris ad me datis ostenderem, nisi honori eius parcerem: nisique alia quam hactenus naturæ & artis fundamenta produxerit, ad huius salis cognitionem nunquam perueniet. Et non solum Reformator, sed ne quidem grandioris ordinis aut societatis: quicquid ..... insolenter, ambitiosè, glorioso & vano sermone iactitent.

Sicut vrina & sudor, sic & sanguis cum adhuc calet, potest lixiuio commisceri, & inde sublimari alcali: *a* cùm verò idem

*a Alcali sanguinis, volatile*

ſanguis abſque lixiuio, ex retorta igne arenæ diſtillatur, tunc in capite mortuo relinquit multum ſalis aliquantulùm fixi *a*. Alcali præcipitat Mercurium, ex ſæpiùs nominatâ ſolutione, in album puluerem: ſal verò minimè. Hinc liquet niſi per lixiuiale, & fixum alcali, acidum ex ſanguine combibitur; alcali volatile ſanguinis propriam aciditatem quoque volatilem arripit, & in ignis regimine fixantur in ſalſum, vt in progreſſu clariùs apparebit.

*purum, mercurium præcipitat candidum.*

*a Sal ſanguinis fixor medi-camen nobile mercurium non præcipitat.*

Sed ne noua veritas nouum mihi odium pariat, operæ pretium eſſe puto, priùſquam progrediar, etiam oſtendere huius ſalis fundamenta Hippocratem non latuiſſe. Is enim in aureis iſtis libellis de diæta dicit: *b*

*Conſtituuntur quidem tùm animantia alia omnia, tùm homo ipſe, ex duobus; differentibus quidem facultate, concordibus verò & commodis vſu, IGNE & AQVA. Hæc ambo ſuffi-*

*b Libr. 1. princip.*

*Spiritus alter trahit, alter prorudit, idem autem vtrique fa-*

*cit & in vtramque partem tendit. Hip: li. 1. de diata.*

*cientia sunt, tùm alijs omnibus, tùm mutuò sibi ipsis, vtrumque verò seorsim, neque sibi ipsi neque vlli alteri sufficiens est,* Hæc ille.

*Cum ego me reduxi, ad principia naturalia, tunc &c. ait Auicen.*

Has duas facultates, ignem & aquam, adduxit Philosophus & Doctor meus, in quorum sinu omnia illa continentur, quæcunque necessaria sint ad generationem, & transmutationem, absoluendam.

Subdit autem paulò post; ignem hunc non esse culinarium dum sic loquitur: *Homo frumentum tundit, lauat, mollit, & vbi igne coxit, vtitur; & forti quidem igne in corpore non conflatur, verùm molli ac lento.* Quis autem sit mollis ignis in omnibus, apparebit in progressu. *a*

*a Quæ nullus explanare tentauit, ea qualia sint demonstrabo. Hipp. ibid.*

## *Acidum occultum, fit manifestum.*

### CAPVT XIII.

SAno in ventriculo inhabitat acidum *a* volatile, nunquam deficiens, cuius beneficio alimenta, quæ omnia nullo excepto alcali volatilis ſunt plena, (vt poſteà oſtandam) in chilum vel ſuccum primò aceſcentem, & paulatim in ſalſum, id eſt maturum, vertat & tranſmutat. Hoc acidum habeatne ex ſe, aut aliunde, non eſt huius loci. Quidam tamen ſcriptor illud ſatis indigitat; ſufficit vt aciditatem ad oculum demonſtrem, primò authoritate, & deinde experientiâ.

Hippocrates inquit, *b in longis leuitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperueniat, qui priùs non erat, bonum.* Id ſonat: rediјt ſtomacho aciditas, quocum cibum in chilum, vel ſuc-

a *Ignis (Hipp.) ſibi ſoli ſufficiens non eſt: hinc appetitum alimentarium: Alcalia enim ſunt, vt in progreßu patebit.*

b. 6. *Aph.* 1.

cum vitalem transmutat, tunc necessariò redibit etiam sanitas. Hinc salsaturæ omnes, atque ciborum condimenta, ad acuendum appetitum acida sunt, vt succus citri, granati, aurantij, omphacij, tartarus, pampina vitis, & similia, quæ tamen omnia inter se magnam habent differentiam, dequibus differere, ad euitandam prolixitatem supersedeo. Vide cap. 10.

*Acidi succi inter se differunt.*

Huius acidi amissi restituendi gratiâ, in morbis instituerunt veteres syrupos acidos, oxisachara, acetum aquâ mixtum & similia, quorum beneficio stomachus debilis reficeretur, ne alimentum, vt vt paucum assumptum, simplici tepore putresceret; quod tamen à paucis animaduertitur, præsertim ab ijs qui putrefactionem & chilificationem idem esse sibi persuadent. Memor quidam ex noua secta, qui non infimus sibi videtur; febricitanti acida valdè appetenti, sub pœna mortis prohibuit

ſuccum limonum, vt crudum, cui præſcripſit ſyrupum aceroſum ſimplicem; mirabar, quòd acetum cum ſacharo coctum pro alterante conceſſerat, ſuccum verò limonum in cibo, non! Qui reſpondens eleuatâ voce; quod Iuleb acetoſus, ex aqua & ſacharo conficeretur. De hoc medico loquitur meus Hippocrates a *Si conſtitutionem ab initio non cognoſcet, & id quod in corpore dominatur, non poterit ea quæ homini conducunt offerre.* Redit autem ſtomacho acidum, à longo morbo preſſum, aut ſponté aut ingenioſi medici arte.

a *Libro* 1. *de diæta.*

Vt autem ab experientia dictum acidum cognoſcamus, bibet ſanus quiſquam ieiunè lactis hauſtum, & illicò iſtud revomet, tunc acidum lingua percipiet, videbitque lac in reditu, ſemi-caſeatum, quaſi acetum illi inſperſum fuiſſet (ſimile ferè acidum reperitur in natura, obſtetriciâ manu, quod in vitro omne alimentum quatuor vel quin-

*Principia naturalia qui ignorat, non habet radicem veram, super quam intentionem suam fundat. Geber,*

que horis, admoto ſimplici calore, in lacteum chilum ex acido ſalſum tranſmutat, iucundo ſpectaculo; quod ad oculum cuilibet id expetenti demonſtrare poſſum, hîc nihilominus apponendum ratio diſſuadet) huius obſcuri gratiſſimi tamen acidi ope, colligatur & coercetur viperinum alcali ad ſuos fines.

Sed nullus ſapor coagulat lac, niſi acidus, quod in triplici eſt genere.

Primò in ventriculo ſano omnium animalium viuentium, tunc ſimpliciter acido coagulatur, ſed in ipſa coagulatione imprimatur neceſſe eſt, vitali virtute ipſius animalis, quæ quamvis in acido cõſiſtat, differt tamen à quouis acido, *a* & tunc chilificatur, & in alimentum recipitur: in cane induit canis naturam *b* &c. Hanc tamen Hippocraticam doctrinam, cum non ſit huius loci, indigitaſſe ſufficit.

*a Res admiranda!*

*b Inſtrumentum vitale eſt acidum, eſt & vinculum Rectoris cum*

Secundò in ſtomacho ægrotantium animalium, tunc aceſ-

cit

cit quidem lac, sed non imprimitur vitali caractere, propterea aciditas fit putrefactiua, quæ non nutrit, sed malum auget: Hinc Hippocr. meus *a* in diuersis febribus (non in omnibus, vt vult quorumdam turba) lactis vsum prohibet.

*corpore hic semel pro semper retigisse sufficit.*

a 5. Aphor 65.

Tertiò coagulatur lac manifestis, & omnibus acidis vel ex *minerale classe*, vt sunt fontes acidulæ, vitriolum in substantia, spiritus vitrioli, sulphuris, salis, nitri; vel coagulatur *animalium parte vnicâ & solâ, ventriculo* inquam omnium, & nullâ aliâ parte; pro signo, quod perceptibile acidum in reliquis partibus non admittitur, & si casu irrepserit, fit morbosum & exitiale. Sanis itaque ventriculis saltem inhabitat acidum, quod quia lac generaliter coagulat, à Dioscoride *coagulum*, & vulgò in Italia *conaglio* appellatur. Imò omnium auium ventriculi, habent dictum acidum tam potens, vt nisi frequenter arenulas, vel la-

*Lactis coagulata diuersa.*

*Coagulum quid sit?*

terum fragmenta edant, quo illud refrænent, ſuperabundans acidum labitur illis ex ſtomacho, & reliquas digeſtiones turbat; vnde Atrophiam patiuntur, & non pingueſcunt: vel coagulatur *vegetabilium ſuccis*: vt limonum, aurantiorum, berberum, aceto & quicquid acidum ſpirat.

*Acidum & alcali in lacte.*

Lac etiam ſponte aceſcit, (ſicut reliqui ſucci tam vegetabilium quam animalium, cum in putrefactionem tendunt, imo nihil putrere, neque generari poteſt noui, niſi præcedat aciditas,) & tunc etiam coagulatur, ſerumque ſeparatur; quod occultum gerit alcali volatile cuius ratione refrigerat, vt ſuo loco oſtendetur.

Hæc ambæ facultates in lacte ſano latent occultè; ideòque occultum etiam ſalſum in lacte conficiunt; hæc eſt cauſa quod ſal cuiuſcunque ſit generis, aut naturale, aut artificiale lacti nihil nocet. Imò ipſe Mercurius

sublimatus compositus ex acidis mineralibus supradictis, vitriolo nimirùm, nitro & sale, quorum acidum ab argento viuo, vt alcali, absorptus, in excellens salsum mutatur; lacti nullum damnum infert. Hinc patet salsa quidem dissoluere, mucilaginosa composita, sed duriora compacta corpora non destruere, vt in progressu clariùs in lucem producemus.

*Salsa, lac non constringunt.*

## *Calculum resoluit & componit pro maiori lumine.*

### CAPVT XIIII.

DIxi præcedenti capitulo, perceptibile, vel manifestè acidum extra stomachum esse morbosum, hancque assertionem calculi compositio docet, quem pro maiori lumine mechanicè resoluam & iterùm componam. Accipe calculum de ve-

*Calculi analysis.*

ſica exciſum, vel ſponte de renibus elapſum, drachma vna vel altera ſufficit: hunc inde vitreæ retortæ, nouæ ac mundæ (calculus non ſit in puluerem contritus, ſed eâ magnitudine, vt in collo retortæ non adhæreat) retortam pone in arenam, cui appone receptaculum mundum ac nouum, vrge moderato igne, & primò extillabit alcali, ſimilis vrinæ, nullius tamen odoris, in receptaculum; & paulò poſt fixior pars eiuſdem alcali ſublimari in retortæ collo videbis, ambo ſpiritus, liquidum & ſolidum miſce, ac diligenter vaſculo vitreo cerâ obturato ſerua, aliàs aperto, in auras abiret, de quo Hippocrates [a] *ſeorſim, neque ſibi, neque vlli alteri ſufficiens eſt.*

[a] *Lib. 1. de diæta.*

In frigefacta retorta reperies calculi fruſtula, eadem formâ, quâ poſita fuerint, adeò tamen leuia & friabilia vt ſi digito leuiter ſaltem tanges, in puluerem concidant, ſicut cadauera in ſubterranea Roma: quibus fruſtulis

integris, si rursùs affuderis alcali ex calculo reseruatum, vel aliud vrinæ statim indurescit vt erat, pro signo quod alcali in dicto cadauere reperiat occultum acidũ, quod illud absorbeat: nisi enim acidum inuenit, solus in aperto aere non persistit; sed iuxta eius naturam in auras abiret, *quia seorsim, neque sibi, neque vlli alteri sufficit, vt docet Hip.*

Hinc discitur quod nimirùm calculus non congelatur neque in vesica, neque in renibus, nisi ab vrinæ alcali, aut alcali loci, & acido indebite, impertinenter aut per errorem ex stomacho delabente, & ibidem generato: acidum & alcali ibidem coniuncta, necessario *a* in massam coire debent, vt vbique ostendam; & quicquid non procul recedens ab earum natura, apprehendunt; illudque cum illis duabus coagulum suscipit, vt in calce dixi & quotidiana experientia docet: hinc calculi russi congelati sunt pauculo sanguine, qui

a *SCIO, inquit Rosarij Author, quia de necessitate, opus ad talem perueniet naturam.*

ibidem ab acido ex vena eroſa defluit ; ſunt ideo friabiliores alij, alij candidiores , qui mucilaginem aſſociatam habent , ideòque duriores. Hoc eſt quod exclamat meus Chymiæ peritiſſimus Hippocrates *a*. *Hæc ita fiunt per diuinam neceſſitatem , neſciunt tamen quid faciunt: vnumquodque fatum deſtinatum explet*, id ſonat : ambo hi ſpiritus aut facultates , coniuncti in quocunque loco, neceſſariò concreſcere & congelare debent ; at ſeiuncti, in natura nihil efficiunt , neque perſiſtere poſſunt, *neque ſibi, neque alijs ſufficiens eſt*, inquit Doctor meus, adeòque acidum manifeſtum extra ſtomachum , in quocunque loco extiterit, eſt morboſum & naturâ odioſum.

a *Lib. 1. de diæta.*

Hæc doctrina ſenis eſt veriſſima , quotidie enim in praxi obſeruatur , calculos in omnibus corporis vacuitatibus concreſcere , vbicumque acidum per errorem cum alcali concurrerit, vt in pulmonibus , in iecore , venâ

portâ, vreteribus, inteſtino collo, in bilis quoque veſicula contra acutiſſimum Galenum, qui docet, a *lapidem in veſica & renibus, duntaxat à calore naſci.* Calculus itaque omnium animalium (de quo hic eſt ſermo) non habet in ſua compoſitione niſi acidum & alcali, ambo volatilia, vt & ſanguinem, aut mucilaginem; dum verò in veſica fellea coagulatur, apprehendit amarum iſtud, quod ibidem concurrit. Accedentibus illis huc, *b* his verò illuc, & inter ſe permixtis &c.

a *Lib. 1. de locis affectis.*

b *Hipp. lib 1. de diata*

Hinc diſcitur quantum valere poſſit in morbis periculoſis, aqua lapide porcino affuſa, in felle hiſtricis inuento? quem tamen ſummis laudibus extollant, qui medicinæ inſtrumenta ignorant: mirum autem, quod hunc lapidem vt igneum non timent, cum à felle amaricet; quod hactenus non animaduerterunt. Huius lapidis ablutio, ſi quicquam prodeſſet, profectò vnica

*Porcinus lapis.*

fellis guttula vilissimi cuiuscunque pisciculi, multò præstantior esset, quam viginti lapilli ablutiones.

Ex coagulatione itaque calculi nunc elucet, quid lithontribon, cantharides, sanguis leporis, vulpis & similia, in lithiasi profecerint hactenus?

Paracelsus itaque rectè sentit calculus ( & nodosa podagra ) instar tartari coagulari, binis facultatibus, iuxta Hippocr. doctrinam, acido nimirùm & alcali, secumque coagulat fæces quasdam, ibidem casu repertas: Et Galenus *a* contra se suosque testatur, *cognitâ causâ facilè esse remedium inuenire*: adeòque quicquid lapidum cancrorum, iudaicum silicum, ciprinorum, percarum, & similium puluere tenus vel aceto solutorum, ad calculum per os sumitur, combibit quidem coaguli antecedentem causam, id est acidum quod ostendi; coagulatum autem calculum, non minuit.

a *Lib. 7 methodi.*

Sic etiam ſalſa pro acida parte impediunt quidem calculi concretionem quatenus alcali vrinæ abſumunt & abſorbent; ita vt errans acidum in corpore, non inueniat alcali quocum ſibi conſtringere & coagulare poſſit; ipſum autem concretum calculum ſalſa non diſſolvunt,

Quod autem ſal commune, vrinæ alcali, & reliqua alcalia animalium in ſe combibat & abſorbeat, ſuprà in ſalis armoniaci præparatione oſtendi, & nunc aliâ mechanicâ demonſtrabo.

Notum eſt, quod carnes cuiuſcunque ſint animalis, conſeruantur ſale communi, qui paucis in diebus, in liquorem ſalſum ſanguineum defluit, hunc liquorem coque, & deſpuma, huius libram circiter, inde retortæ vitreæ, & blando igne omne humidum euoca, vltimò retortam obrue arenâ, & ignem auge, tunc eleuabitur in retortæ collum, alcali carnis, vrinæ alcali ſimile; quod ſal commune, ex

*Salis communis dignitas.*

carne absorpsit & absumpsit, solâ maceratione paucarum dierum ; eodem modo sal, quem comedimus, quotidie absumere, & combibere superfluum alcali in concauitatibus seu ventriculis ( vt ait Hippocr. ) hinc inde collectis, ac transpiratione ineptum necesse est, & ratio dictitat; imò & experientia testatur: ex vrina enim facili methodo sublimatur alcali, & sal maris sicut commestus manet in fundo; eadem viâ, vt iam de salso carnis liquore ostendi. Hinc colligere licet quòd sal mortalibus datum sit, tanquam necessarium sanitatis & vitæ sustentaculum.

*Nihil esse naturalius docent sapientes, quam solui rem aliquam, per id, â quo suum habet componi.*

Ex dictis & ostensis nunc liquet mechanicâ necessitate, quod calculus non dissolvitur, nisi medio sapore inter acidum & alcali; is mutatur in vrinam integris viribus, intimis gratus, vt dictum est, debetque esse subtilis, adeò vt libere cuncta peruadat. Hanc soluendi methodum, voca à contrario, vel à simili, non

errabis; alcali enim si solvit, fit à simili: acidum si destruit, fit à contrario: Ecquis alius quam Hippocrates (cuiusuis sectæ) hunc nodum nobis dissolueret? Hippocratem itaque in medicina directorem, & in reliquo vitæ cursu egregium præceptorem non sine causa commendat nobis Galenus *a*

a *Ad Glauconem*

Est & specificum remedium paucis notum, quod iunioribus calculum vesicæ planè tollit sine recidiua, adulti verò nullum sentiunt incommodum, qui illud per os sumunt, & nisi timerem impostorum reformationem, lubens istud communicarem: sed casus hîc plus valet quam ratio. Eodem remedio sanatur etiam astma perfectè, sic & epilepsia ex inferis.

*Calculi remedium vt & Epilepsiæ & Astmatis.*

*Res inaudita & admirabilis, tamen antiquißima.*

## CAPVT XV.

OStendi in ſtomacho acidum, oſtendi quoque calculum, vrinam, ſudorem & ſanguinem ſalſa eſſe, ſic etiam oſtendi quomodo ſalſus ſapor cum alcali fixo diuidatur, vt alcalia nimirùm ab acido liberentur. Nunc meum erit demonſtrare, quomodo vrina, ſudor, ſanguis &c. ſalſum ſaporem acquirunt?

Alimenta omnia, & quicquid nutrit, parum habent acidi: & plurimum de alcali volatili (vt poſthac luculentiùs) tantum ſcilicet acidi vt alcali colligat, ne evaneſcat (*ſibi enim ſoli ſufficiens non eſt* ex Hippocr. a ſuprà dixi;) in iſtud alcali agit ſtomamachi aciditas. Ex his binis ſaporibus, fit ſalſus ſuccus, qui impreſſus

a *Lib. 1. de diata.*

impressus est vitali illo acido caractere, vocaturque chilus; hic non transit mesaraica, imò non admittitur, nisi salsum (suo modo) saporem (id est maturum) induat, aliàs fieret intimis odiosus & molestus, adeoque stomachi aciditas viuificat chilum, vt nutritioni fiat aptus: Hinc Hippoc. a mens: *vt in animantibus stomachus alit, calefacit, refrigerat, sic in vegetabilibus terra.* Id sonat: stomachum esse omnium actionum præsidem, quæ in corpore contingunt, solius acidi vitalis gratiâ, ibidem latentis.

a *De humoribus.*

Potatorum & helluonum vrinam (propter copiam, quam ingurgitant, mingunt singulis horis, præsertim à vino rhenano aquoso) non existimo debere omnes venarum ductus transire, aliàs tincta decurreret; hæc tamen vrina, etsi colore aquæ simplici similis, nihilominus salsa est, sicut illa quæ tincta à moderato potu generatur, quod pro-

*Vrina saturum salsa.*

bat lixiuium alcalizatum, vt de ſudore oſtendi. E contra, vrina morientium, licet mingant in pauca quantitate & tincta, caret omninò ſalſedine, vt & alcali (præter commune, ſi quid in cibis aſſumunt) neceſſe eſt itaque iſtud ſalſum generati debere ab impreſſione acidi vitalis in ſtomacho ſedentis, quod morientes deſerit paulatim.

*Vrina morientium caret ſale.*

Hac ex obſeruatione, luce meridianâ clariùs patet, quòd vitale inſtrumentum in ſanis, quocum alimentum imprimitur, priuſquam pyloro elabitur, ne putreſcat, vt dixi ex Hippocr. ſit A C I D V M, quocum chilus in ipſo ſtomacho (ouum aut ſeminis granum repræſentans) debet ſalſus fieri. Vnico verbo, cum acido ſtomachi & alimento Alcalizato, fit ſalſus chilus, ſalſa vrina, (etiam in ijs qui nunquam ſal deguſtarunt) ſalſus ſudor, ſalſus ſanguis, carnes & oſſa, imò ipſa

*Protochimicus habitat in ſtomacho.*

alui excrementa ; huius tamen alcali , licet centies rectificetur, paucis in horis iterum commutatur in id quod erat , *a* fermenti loci vel occulti acidi ratione, ibidem latentis. Vnde erudimini , quod alcali cuiuscunque rei habeat conseruetque occultum acidum ( sensibus imperceptibile) animalis , vel etiam partis vnde desumptum est: cuius causa Paracelsus , in antiquissima Hippocratica scientia illuminatus , & post eum magni ingenij Helmont , pro calculo soluendo , liquorem specificarunt ludo , *b* propter symbolum , vel loci fermentum : id quod nobis indigitare licet ( sic viperinum alcali, proprietatem alexipharmacum habens , suo modo , à fuga coercetur cum suprà nominato & ostenso acido , celebraturque in morbis quam plurimis & præsertim in podagra,arthritide suisque speciebus quorum dolor , non sine occulto veneno , primus notauit Paræus *c* ) indicibili fru-

a *Vtrum differ-ntire possit hæc mechanica docet.*

*Alcalium animalium differentia , sensibus nostris non distingui potest.*

b *Ludus est calculus humanus excisus.*

c *Lib. 7 cap. 2.*

ctu (cui addo pro exigentia pulvisculum: ex sena Hermodactilis & cremore Tartari ana scrupulum) pergit autem per omnes corporis humani officinas in occulta salina forma, sudoris instar; cum verò reperit acidiorem saporem in cauitatibus & in iuncturis & articulis, tunc deserit proprium acidum, & combibit potens illud dolorosum & ardens: eodem modo, vt contingit corallis in aceto solutis, cui si instillatur acidior liquor vt vitrioli vel sulphuris, hic corallis se associat, negligitque acetum, vt cuilibet pharmaceutices tyroni notum est, vide etiam præcipitationis necessitates, Cap. 28.) cum verò acidum non alcalizatur in salsum, priusquam meseraica transit, & casu intrò recipitur *a*, ad sanguinem perreptans, acescit; statim fiunt febres, vel pleuritides: sanguis enim tunc temporis emissus, in grumos concrescit, eò quod superans acidum, alcali cogit, vt

*Sal/u/7. natura/*

*Podagræ dolor ex acido.*

*a Coqui diuersi raro præparant vtiles cibos.*

in lacte ostendi: hoc in casu Veteres nostri indagarunt pleuritidis specifica remedia, stomacho familiaria, ( vnde digestioni non resistunt ) quæ alcali volatili abundant, vt acidum compescerent & absumerent; sicut est sanguis hirci, succus cichorei silvestris, priapus cerui vel tauri, semina carduorum & similia, quæ felici cum successu in hunc vsque diem propinantur, præsertim sanguine, in venis iam acescente, euacuato: tunc nimirùm dicta remedia, facilè quod superest, absorbent, eodem modo vt de vitriolo crudo, cum liquore tartari præcipitato ostendi. Vnica nimirum gutta vtriusque saporis vim superans, totum mixtum vel in alcali vel in acidum deflectit: sic vnica gutta acidi, si intrat in sanguinem fit morbus. Vnde liquet angustissimum punctum, in quo sanitas consistit; hoc est temperamentum ad iustitiam, vel ad pondus, vt ait Galenus *a* *quod potius imaginari*

*Pleuritidis remedia.*

a *Lib.* 1. *de*

*tempera-mentis.* *quam quod reverà existat.* Hinc etiam illud Hippocratis, a *corpora ad summum vigorem progressa non persistunt, sed velut aquâ lance libratâ in contrarium ruunt.*

a *1. Aphor. 3.*

*Spiritus naturales et familiares Parac.*

Ex dictis nunc elucet ratio, quare vitriolum exsiccatum edat actiones vitales, cum sanguine, sudore, vrinâ vel excrementis, vt ad certum obiectum trahatur; de quo tamen hoc loco disserere consultè prætereo, ne latius quam compendij ratio admiserit, vagemur.

Instrumentum itaque vitale, aut seminalis virtus, voca vt lubet, in omnibus rebus est aciditas aut occulta, aut manifesta; illa virtus habitat manifestè in stomacho, in reliquis membris omnibus, occultè; attestante id Hippocrate: *Homo*, inquit, b *non habet vnum ventriculum, sed plures, & omnes musculi suum ventriculum habent:* Ventriculi autem est, in aliud ens transmutari duarum facultatum ope, aci-

b *Libr. de Arte.*

do nimirum innato, & alcali acquisito, sic etiam intelligendum hoc loco iubet meus Hippoc. dicendo: *a secant homines lignum per serram, alter trahit alter protrudit, sic & hominis natura*: acidum itaque suprà dictum (quod in lacte occultum esse ostendi) assumit alcali in alimentis: & quicquid suæ naturæ non repugnat, secum coagulat, crescit in molem, & vulgariter vocatur nutritio; à magistro autem NATVRALIS LABOR, inquiens, *b*: *Homo sanus esse non potest, nisi etiam laboret: oportet autem, velut par est, Medicum laborum vim pernoscere, tum NATVRALIVM, tum eorum, qui per vim fiunt, & qui ex ipsis carnes in augmentum præparant*: vt de calce, & sapone rudibus exemplis Hippoc. autoritate dixi; sed hæc cùm obscuritatem breuitate ostendunt, in sequentibus capitulis copiosiùs clariùsque proponentur, dum particulatim sin-

a *Lib. 1. de diæta.*

b *Citati libri principio.*

gula reſecabimus, quæ hîc vniuerſim propoſuimus: *quo cognoſces naturam in omni re ſimilem*, vt docet cum Hippocrate meo, etiam venerabilis Pytagoras. *a*

*a In aureo carmine.*

Cùm itaque in ſtomacho omne ingeſtum, in ſalſum volatile tranſmutari debeat: chilus autem propter errorem, vel intus genitum, vel externum, vel nimis vel minùs aceſcat *b*, vt in potatoribus & helluonibus videre eſt; qui aſſumpta, quandoque per vomitum reijciunt acidum redolentia, non proportionatur: tunc fit alimoniæ & ſubſequentibus ventriculis (vt ex Hippocrate colligi poteſt) ineptum; importuna enim aciditas, per meſaraïca perreptans, tunc totum corpus inæqualiter calet, & quoniam alimentum diſproportionatum eſt, fieri etiam ineptum exhalationi eſt neceſſe, vt iterum docet Hippocr. citato libro: *Neceſſarium eſt*, inquit, *quæ ab ipſo ſecernuntur ac producutur diſſimilia fieri*, &c. Vnde dici-

*b Si importune & violenter cogatur, omni ſucceſſu priuabitur. Hip. lib. 1. de diæta.*

mus poros esse obstructos, & transpirationem prohibitam, ac perinde necessariò sequi febrim vel morbum. Hinc omnis morbus ex Hippocrate consistit generaliter, vel in materia coagulata vel soluta magis & minùs, differtque iuxta saporis qualitatem, quorum numerum infinitum recenset de veteri medicina: & in Aphorismis a *Ructus acidus, qui prius non erat, nidorosis superueniens, bonum pronunciare*: quod sonat, non in omni morbo soluto, Ex. gratiâ, alui fluxu deficit stomacho aciditas; & quibus hæc adest, ijs prouenit fluxus, vel intestinorum leuitas ex nimio salso sapore, qui sapor saltem dissoluit molliter concreta; nunquam tamen erit exitiosus, & lacte solo superatur, eò quod lac facillimè, salsis commiscetur, eluiturque. Sin verò proportionatum acidum & alcali cum debito calore, omnibus in ventriculis, *& concors concordi* b *adhæret*, ac

a 6. Aph. 6.

b Hip. lib. 1. de diæta.

*assidet, sine pugna & dissidio*; hæc vocatur sanitas: atque sic perficitur & coagulatur smegma; quod & ipsum, si quandoque disproportionatur, fit morbosum, debetque suo simili resolui, ac rursum suo contrario, vt supra ostendi, ad sanitatem reduci, recoqui, & in salsum recoagulari.

7. Sapo.

Hæc pro salium volatilium ortu & generatione, in animalium familia, ad hanc rem spectantia, indigitata sufficiunt: nisi quis obijcere vellet, quòd salsa quæ comedimus, exinde fieri salsa volatilia, quod tamen supra impossibile ostendi, ratione salis constantiæ, imò sal sicut comeditur, reperitur in vrina, immutatâ formâ & naturâ, aut vllâ sui alteratione, quod facilè experiri licet; ex vrinæ nimirum inspissatione, postea calcinatione, solutione & coagulatione, reperitur sal granulatum, vt fieri consueuit,

Viuunt etiam homines in Al-

pibus, ſimplici lacte, quorum tamen vrina acido & alcali non caret, & licet in ſalis forma concreti, non tamen granulatur, vt ſal marinum; ſed in cubi forma, neque in igne conſtans, verùm alcali leui calore deſerit acidum, vt experientia declarat.

### *Nunc vnde digreſſus, ad mechanicam demonſtrationem alcalium redeo.*

### CAPVT XVI.

Oſtendi ex ſudore alcali eliciendi modum, ſic & ex vrina, ex ſanguine, ex carnibus omnium animalium, dixi etiam quod alcali, non ſolum in ſtomacho, cum acido in ſalſum volatile mutatur, ſed etiam in omnibus ventriculis, quorum numerum multiplicem indicat Hippocr. *a*, & quando iſtud ſalſum,

[a] *Lib. de arte.*

pensum suum perfecit, tunc simul *cum dissidente* b *aut pugnante*, id est, cum excremento vnctuoso transpirat, & in elementa abripitur, sicut contingit omnibus sublunaribus, quod & in fixo sale tartari & oleo ostendi, & post hac etiam luculentiùs, nec non de sapone artificiali, quæ post eius perfectionem in aquam & terram, postquam vsui inseruiuit, redibit; quæ tamen transpiratio, & in orcum revocatio exemplis manifestiùs apparebit.

b *Hip. de diæta.*

*Vitriolum separat alcali ab acido.*

Bibat vel leuiter gustet quisquam, tantillùm vitrioli martis, illicò nigrescit eius lingua, quæ vestita videtur instar holoserici, cuius pori semper turgent, exhalationibus occultè salsis, quæ vel cum saliua miscentur, vel in auras rapiuntur. Quam primum itaque vitrioli martis aciditas, occultum alcali in saliua percipit, ictu celeriùs colcotar separat, quod linguæ adhæret, eamque nigricantem reddit.

Ne

Ne autem credas me hîc fabulas narrare, en accedo rursùs ad ocularem demonſtrationem.

Diſſolue vitriolum martis, in aqua limpida, in claram ſolutionem guttatim ſtilla Alcali fixum tartari, id eſt, liquorem tartari, tunc colcotar cadit obſcurè virideſcens.

| Alcali | | | |
|---|---|---|---|
| Alcali | Chelidoniæ. | præcipitat vitriolum martis ſolutũ | Flaui coloris. |
| | Lauendulæ. | | Viridis. |
| | Abſinthij. | | Citrinantis. |
| | Roriſmarini. | | Obſcurioris. |
| | Vrinæ volatilis. | | Obſcurius ſale tartari. |
| | Sudoris. | | Virid-obcuri. |
| | Sanguinis. | | Clarioris. |
| | Viperini. | | Obſcurioris. |

Sal ſtipitum fabarum, in flavedinem illud conturbat, poſt vnius horæ quietem, ochram ex imo eleuat.

Sal commune, vt perfectiſ-

ſimus ſalium, miſcetur cum vitriolo, ſic & Mercurius ſublimatus, eſt enim ſal artificialis; vt & acida quæque vitriolum non præcipitant.

Sola itaque alcalia vitriolum in nigrum tendens, præcipitant in fundum; fixa tamen non reperiuntur in animali viuenti, erunt itaque volatilia; hæcque indeſinenter cum acido ligata poſtquam vſui inſeruierunt, è nobis exhalant, atque tranſpirant cum acido ſub ſalſo ſapore occulto, quod clarius apparebit.

*Quamdiu viuitur, hominis totum corpus eſt expirabile & conſpirabile*, idque primus notauit Hippocrates, & quicquid expirat, eſt occultè ſalſum, illud autem non ſolum ad externum corporis habitum evaporat, ſed maior pars ad inteſtina prolabitur, quod ſic probatur.

Bibito vitriolum martis ſolutum in aqua, & videbis alui excrementa, tincta vel nigra, vel viridia, eodem modo ab in-

terno alcali præcipitata, vt in tabella iam mechanicè oſtendi: ſed in externo corporis habitu, vitriolum ſolutum non præcipitatur ab effluvijs ſalſis; ad inteſtina itaque erit maior confluxus.

Sic neque vrina tingitur nigra, colcotar enim præcipitatur priuſquam liquor ad meſaraïca rapiatur, ita vt neceſſariò in inteſtinis permanere debeat.

Si itaque ad inteſtina confluat excrementorum maxima pars, à natura in exilium proſcripta, illud quandoque per errorem à coagulationum vinculis, in locis indebitis detinetur, vel vt cum Fernelio loquar, in prima corporis regione: neceſſe eſt omninò, vt medicamento ſoluente, ad exitum promoueatur: quare non mihi videtur omne ſolutiuum medicamentum in morbis reprobandum, vel abdicandum, vt quidam exiſtimarunt; *neque ad conualeſcentiam*, vt credit & practicat medico-

*Purgantia ad conualeſcentiam non ſatis eſſe docet. Hipp*

rum maior pars; *solutiuj satis sunt*: vt docet Hippocrates libro de arte.

Sed quæritur, quare fontes aciduli ferrum ferentes non nigricantem linguam reddunt, sicut alui excrementa? id contingit ex eo quòd spiritus acidus naturalis rodens venam ferri immaturi, aquâ mixtus non saturatur, sed prævalet in composito: potatur autem fons in ipsa rosionis actione, tunc non datur spacium præcipitationis in lingua; sed quàm primùm grata aciditas in stomachum arripitur, tunc cadit colcotar, vel præcipitatur ab alcali, quod ad ferrum solutum confluit, vnius facultatis defectu, & alterius excessu, & quicquid mucilaginis in illa coagulatione apprehenderunt, in earum naturam constrinxerunt, sicut in calculi concretione, vt & in calce dissoluta, rudi exemplo, Hippocr. autoritate suprà ostendi: istud coagu- *Oppilatio quid,* lum à medicis oppilatio appella-

tur ; excedat nunc in isto vel acidum vel alcali, modo stomachus non repugnet, qui omnibus actionibus præest, vt docet Hippocr. *a* aut acidulæ locum attingunt ( quæ diaphragma non transcendunt, quod notandum ) illud sine dubio destruunt.

a *lib. de humoribus.*

Dixi quod acidulæ sint potandæ, in ipsa rosionis actione, id est, hauriendæ sunt aquæ, ab ipso viuifico fonte, nam si paululùm defluxerint, tunc actio cessat, spiritus acidus à ferro immaturo absumptus satiscit, & cum soluto præcipitatur in ochram, quæ non nigrum ( cum alcali enim non est præcipitatum) sed flauescentem fundum exhibet, sicut omni vitriolo ferrum ferenti contingit.

Medicus canonicæ sectæ litigandi instrumentis ab Aristotele diues, Nobili huius vrbis Patricio, paucis abhinc annis Hypochondriaco, apportari curabat fontem ferri venam, ex agro Tridentino, qui spiritum roden-

*Venetiarum.*

tem expirare timens, iussit fontem impleri vitreis lagenis longo collo, ac oleum superaddi, atque cerâ osculum obserare, & desuper vesicâ ligari; gaudens, quòd subtili argumentatione, fontis spiritum incarcerare didicerat, quem vt spiritum vini considerabat. His tamen hominibus, Deo sic permittente, confidimus vitam, fortunam, vxorem, liberos & familiam; licet medicinæ instrumenta ignorent! Hinc audax, at ingeniosus Van-Helmont, exclamare non metuit *a*. Rarum esse medicum in Europa!) Hic namque, si in Hippocratica verâ scholâ fuisset versatus, & naturæ librum euoluisset, non se tam turpiter dedisset: *vt Medecina omnium artium nobilissima*, b *iam iam æstimaretur vilissima*: cognouisset, inquam, acidum non expirare, sed ab actione in ferrum tandem deficere; tunc enim non exhalat, sed in forma fecis, ambo fundum petunt, quam ochram

a *Tract. tartari deliramenta.*

b *Hip. de lege.*

appellant. Non ſatis quoque mirari poſſum oſtentatorum quorundam garrulorum nugas, qui fontem diſtillare, & ex fundo hariolari eadem ſtupiditate promittunt. Sic diuites dimittuntur inanes.

Spadana eſt multò acidior, & licet roſerit venam ferri, illi ſupereſt tamen quædam aciditas, propterea conduci ſe aliorsùm permittit.

Huius fontis fama percelebris, ante decennium circiter, Nobilem Vicentinum mouebat, vt curioſè fontis naturam, propriæ ſanitatis causâ perquireret; cui breuiter proprietates eius, & quibuſnam morbis conduceret, deſcripſi. Tunc temporis cum Sereniſſimo Georgio Guilielmo, Duce Brunſuico-Luneburgenſi, dehinc iter in Germaniam inferiorem inſtitui. Nobilis verò domum reuerſus, fortè retulit ciuitatis medico, ea quæ de fonte dixeram. Hic longam exarabat epiſtolam in forma conſilij,

ad Clarissimum ac Præstantissimum virum dominum Theodorum Konerdingium, doctissimum Ducis Archiatrum, quam tamen apertam direxit ad manus ipsius Ducis, ac huius in margine positum ita videbatur nomen meum, vt intuenti statim se offerret: quam legens Dux, indignatus huius iniquæ cretæ me euocauit (laudatque Galenus cymoliam) Nostin' inquit, huiusce scriptorem? Quod cum negauissem, bonum inquit omen, quod à vulgo contemneris, & conuitijs laceraris: Legito inquit, ac porrige Domino Konerdingio, vt & illi scriptor innotescat. Incomparabilis Princeps, calumniatori aures non præbuit, sed quasi nunquam legisset, se gessit. Totum autem folium, nil nisi conuitiá & calumnias continebat, meque accusabat, quòd nouam Philosophiam introducerem; quæ tamen omnia cum nil aliud nisi malignum animum, & stupidam ignorantiam manife-

*Parum firmamenti & virium habet falsitas.*

*Semper præclari & sapientis hominis esse iudicaui, imperitorum calumnias magno animo paruifacere.*

ſtarent, redierunt ad ortum. Sed ad rem.

Quemadmodum vitriolum & aquæ omnes, quæ ferrum ſolutum continent, præcipitantur in nigrum fundum; ſic & ipſe ſpiritus vitrioli acidus, metalli liquamen retinet, vt vt rectificatus. Cui ſi affunditur alcali puriſſimum præcipitatur, non quidem in nigrum; ſed in igne conſtans colcotar: ea propter qui hoc ſpiritu pro dentibus dealbandis vtuntur, valdè decipiuntur: roborat quidem gingiuas, ſed dentes inficit tenaciſſimâ flauedine, ſicut vitriolum ipſum hos nigricantes reddit; indeſinenter enim ac neceſſariò aliquid è nobis exhalat madoris ſpecie, alcali repletum; quod etiam circa dentium alueolos colcotar ex ſpiritu dicto præcipitat, quod dentibus adhæret, & flauos reddit.

*Spiritus vitrioli dentes tingit flauos.*

*Vitrioli occasione, ad vegetabilium salia propius accedit.*

CAPVT XVII.

*Quæ plurimum diuersa sunt, maxime concordant. Hippoc. lib. 1. de diæta.*

DIxi neque acidum, neque salsum, neque vllum alium saporem vitriolum destruere, nisi alcalia: sed succus ex gallis immaturis, coit cum vitriolo in nigrum, destruit & absorbet eius acidum, adeòque hic succus erit ex alcalibus. Hoc modo fiunt atramenta, & omnes tincturæ nigræ: imo quando vitrioli aciditas, cum gallarum alcali, pro sufficientia, non combibitur, (quod fit quando gallæ nimis maturæ, & à pluuia abluuntur,) tunc alcali expirat, sicut omnibus vegetabilibus contingit, vt postea suo dicetur loco;) tunc vitriolum erodit panna, vnde fiunt quasi marcida, vulgus clami-

tat: *la robba è brusada nella tinta.* Sic etiam litteræ ſcriptæ atramento, dictis gallis cocto palleſcunt, quia prævalens aciditas vitrioli, gallarum debile alcali à pluuia ablutum conſumit; eodem modo, vt acidus ſpiritus quilibet ſcripturæ oblitus ſtatim nigrum colorem (id eſt alcali) deſtruit & abſumit, quem rurſus aliud alcali fixum reducit.

*Scriptographia fundamentum.*

Sic v. gr. ſcribito cum aqua, in qua vitriolum ferreum ſit ſolutum, cùmque exaruit, nec ſcripturæ veſtigium apparebit, obline ſcriptum gallarum ſimplici infuſione; & in momento harum alcali, ſcripturam nigricantem reddit, quæ cum acido potenti, vel aquâ forti ſtatim deletur; alcali nimirùm ab acido conſumpto: Rurſus imbue chartam cum alcali fixo, quod iterùm abſumit acidum, & iterùm apparebit ſcriptura. Ex dictis nunc patet, quod vitriolum non tingit nigrum, niſi acidum eius, alcali quodam ſit abſumptum.

*Gallarum alcali.* Vt autem gallarum alcali fiat perfectius, perunge saltem gallas pinguedine vel oleo quodam, occulta huius aciditas peruadit gallas, sub lento calore cinerum, ibidem in ollula positas, relinque ibidem, donec gallas videbis nigriores, non autem ita vt sint reductæ in carbones; tunc verò alcali eorum erit tingendo promptius, & huiusmodi vstæ vncia magis perficit, quàm aliàs libra, imò per se tingit, eò quod acidum pinguedinis in eius alcali per ignem egit.

Simili alcali volatili & occulto, abundant quàm plurima vegetabilia, vt sempervivum maiûs, salvia, granatorum cortices; quæ omnia vitrioli acidum absumunt, & colcotar deijciunt in plus minusve nigrum. *Cortices granatorum.*

Princeps quidam magni nominis, naturæ mysteria magno studio perquirens, mirabatur valde, cùm audiuisset quod domicella quædam ex Gineçeo in aula sumpsisset per os granato-

rum

rum cortices, qui aſtringere vniuerſaliter iudicantur; nihilominus in illa menſes per multum tempus deficientes prouocauerant: cui cùm oſtendiſſem copioſum alcali quo ſcatent dicti cortices, & etiam menſium obſtructionem, originem traxiſſe ex acido morboſo, quod alcali corticum abſorpſerat, *a* mirari deſiui.

*a Permixta & diſcreta alterantur. Hip. lib. de diata.*

Notandum, quod vitriolum artificiale lazureum, quod cypricum falſè appellant, cum gallis licet toſtis non nigreſcit, ſed cum corticibus granatorum tingit obſcurè flauum. Fit autem ex cupri bracteis, per ſpiritum ſulphuris, aut vitrioli vulgaris, qui ambo in frigido coagulantur in lapillos oblongos angulares, difficilè reſolubiles ac diſtillationibus inutiles, eò quod cupreo ſulphure planè deſtituitur; hoc autem cum vrina virideſcit, & cum alcali vrinæ deijcitur in fundum lazureum, qui per fuſionem in cuprum redit.

*Cypricum ſalſum fit ex cupro.*

*Aerugo distillata dat acetum.*

Sic etiam ærugo ( quatenus ex maturo cupro & aceto ) non nigreſcit cum gallis, ſed fit ſpadicei coloris : bonâ veniâ Reformatoris , ſcio atque comperio exinde nihil niſi acetum diſtillari eò quod remanens caput mortuum, poſt diſtillationem , in purum cuprum ex fuſionis igne reducitur , de quo poſteà plura.

*Alexij ſecretum,*

Vnde liquet , quod neque æs vſtum cum toſtis nigram tincturam producit , vt Alexius Pedemontanus promittit; quo proceſſu mulierculæ huius regionis ſe anxiè torquent , ad capillos denigrandos; quicquid enim hæc compoſitio tingit , fit ſolis gallis toſtis, & minimè æs vſtum huic quicquam contribuit.

*Hic etiam Metaphora de Veneris & Martis concubitu, non ineptè quadrare videtur.*

Sed vitriolum cypricum , eſt verè hermaphroditicum, & naturalis acidi , & cuprei ſulphuris ditiſſimum , ob id ſemper humidum , & nunquam per ſe in lapillos concreſcit, promptiſſimè ob illud idem cum gallis nigreſcit; pro ſigno , quod Veneris &

Martis naturæ ſit particeps (vitriolum enim Veneris, ſine Marte, cum gallis non nigreſcit, vt oſtendi) *Ferrum enim & cuprum, ſanguine & natiuitate ſunt coniuncta, vt mas & fœmina; hoc arcanum*, inquit Baſilius, *a debetis tacere, & tamen notare, plurimum enim intereſt.* Hoc vitriolum in aqua ſolutum, eſt fulvi coloris; in illo ſi diſſolvitur æs vſtum, vel cupri lamina, vel ferrum, tunc in lapillos concreſcit, fitque vendibile, medicinis tamen inferior.

a *De Vitriolo.*

*Vitriolum album.*

Album illud de Goslaria, vt & illud de Carinthia, participant quidem de Marte & Venere, non tamen ſunt diuites acidi naturalis, ob id admodum pigrè nigreſcunt cum gallis: guttula huius ſoluti cum gallis mixta, cadens ſupra chartam facit iridem varij coloris, poſtquam exaruit.

*Romanum.*

Vitriolum verò Romanum, quod ferro eſt ditiſſimum, licet pauper ſpiritu, tingit promptè, ferri ratione.

*Martis artificiale*

Sic Martis vitriolum artificiale, quod fit ex ferri limatura cum spiritu vitrioli, vel Sulphuris, eadem promptitudine tingit; adeòque tinctores, in defectu vitrioli dulcis, humido & per consequens acri addunt ferri limaturam, quam rodit, & vitriolum dulcescit.

*Crocus Martis Solutus.*

Sic & Crocus Martis (qui fit ex artificiato vitriolo in cooperto crucibulo ignitus, donec rubescit) solutus cum spiritu salis, ac digestus cum spiritu vini, acquirit aureum colorem, fitque nobile medicamentum. Huius soluti gutta saltem, in vncia media decocti, vel extracti gallarum, completissimum fit nigrum; effunde illud nigrum, & aquâ clarâ ablue vasculum; hæc ablutio tibi dabit Ametisti colorem. Guttula prioris in charta, post exsiccationem spontaneam facit colores varios, vt Pauonis cauda; curiosis oculis valdè delectabile.

His periucundis experimentis

olim cùm insudarem, vidi digitos, colore purpureo tinctos, sicut contingit ex auro soluto in regia aqua, perseuerauitque tinctura per aliquot dies; hanc Basilius *sanguinem Veneris, & Martis* appellat, & non sine ratione, eandem accuratè obseruari, & taceri iubet.

*Sanguis Veneris & Martis.*

*Aurum.*

Aurum aquâ regiâ corrosum, ac in vitrioli formam coagulatum, tingit, vt dixi, digitos purpureo colore, & cum gallarum infusione, fit instar succini flaui liquor, quo cum larga manu obline chartam; post exsiccationem lucet vt vernix.

*Argentum.*

Argentum in aqua forti corrosum, ex nitro & alumine cum gallarum infuso, non mutat naturam; cum hac mixtura, si scribitur in charta, post biduum quælibet littera nigra, argenteo & splendente filo est circumdata, quod sine alcali non contingit: hinc rarus ille Vir non intelliget, quare metaphoricè aurum masculum, & argentum

fæminam vocarunt Veteres nostri: gutta huius soluti, si largâ manu in chartam cadit, ducit post argenteum filum, alium castanei coloris, quasi studio ita depictum esset, amœno spectaculo.

*Stannum plumbum.*

Stannum vt & plumbum, in sal vel vitriolum redactum, cum gallorum succo, sicut & cum omnibus alcalibus, fit niueus fundus, id est, alcali gallarum combibit acidum, & metallum petit fundum: in auro autem non ita, neque in argento, neque in cupro, &c.

*Mercurius.*

Mercurius cum acidis solutus & recoagulatus, cum dicto gallarum succo, segniter flauescit aurum imitans quod notandum.

*Non sunt loquela, &c.*

Ex septem metallis igitur in acido solutis, ferrum & argentum cum gallis tingunt colore nigro, imò argentum etiam sine gallis: & nigredo apparet, postquam acidi spiritus deficiunt. Reliqua metalla, licet soluta & recoagulata, vitrioli facie ludunt,

tamen vitrioli actiones non edunt. Causam perpende si potes, eam enim scire non iniucundum est.

*Spiritus mirabilis.*

Spiritus semi-acido-salsus, distillatus ex Capite mortuo, ex tartaro & sale armoniaco, cum bolo armeno commixtus erat, de quo suprà; hic spiritus in momento cum gallarum succo viridescit: ex hoc didici, quod bolus necessariò continere debeat immaturum cupreum semen, quod dictus spiritus secum rapuit in ignis tortura. Cupreum dico semen, nam vitriolum ex cupro factum cum spiritu vitrioli, cum gallarum succo præcipitatum, eodem colore viride apparet, vt suprà ostendi; cùm verò ex bolo communi tunc nigricat.

*Nigri coloris fundamentum.*

Vnde liquet quòd sal volatile, vel alcali gallarum, vel corticum granatorum, vel herbarum vulnerariarum non tingunt colore nigro, nisi cum ferro, in minerali acido soluto.

Aliud notabile, quod naturalis acidus ſpiritus purus, non à quoquo acquiri aut haberi poteſt, nam diſtillatus ex vitriolo; & vtcunque rectificatus, nunquam deſerit metalli liquamen, neque ab eo præcipitari poteſt vllo alcali, vulgari modo, in his nimirùm rursùs ſe veſtit nouo corpore, reditque in illud quod erat, vt ſuo loco oſtendi: Paracelſus tamen quodammodo purum laudat illum, propè Pagulum Veltin in Heluetia, vt alibi deſignaui.

Huc pertinet impoſtura quam Reformator pro *Magiſterio ſeminum Kermes* venditat *a*, quod tamen nihil aliud eſt, niſi alcali aluminis, quod ex ipſis granis, metu vacui, acidum occultum ſorpſit, quatenus proprium acidum, in alcali tartari perdidit.

*a Pharmac. Regia, fol. 282.*

*Ex fodinis nunc in Amœnum hortum ad vegetabilium occultiora alcalia volatilia me confero.*

## CAPVT XVIII.

*Vegetabilium mechanica instrumenta, Hippoc. dua facultates. lib. 1. de diæta.*

VEgetabilia omnia, non minùs quàm animalia habent instrumenta vitalia, quibus vtuntur ad horum incrementum & propagationem. In semine igitur tanquam ouo vel stomacho, dormit prævalens acidum, cum pusillo alcali, pro sui sustentatione, cum specifico rectore (de quo alibi); cum verò in terram proijcitur, humido solvitur, & calido excitatur; acidum vt igneum incipit agere in alcali; cui humidum accedit, illud rector caloris beneficio informat; sic invisibiliter acidum assumit alcali & alcali vicissim sorbet acidum, *in vtramque partem tendunt* fer-

*Fermenti mysterium olim studio occultatum fuit.*

mentorum more, imò non cessant, donec cursum præfixum absoluerint ad suos fines; *Spiritus alter trahit, alter protrudit, &c.* ait Hipp. citato loco.

Humidum itaque cuiuscumque vegetabilis continet acidum & alcali; in alijs prædominatur alcali, acidum autem in alijs; acidum est notissimum, alcali verò hactenus paucis cognitum: quod in expresso vuarum dulci succo, vt notissimo ad oculum nunc ostendam; in quo primis diebus Rector dormit, qui paulò post, admouet mechanica instrumenta; acidum incipit rodere alcali, illud autem absorbet acidum, fitque actio & pugna vehemens, quam à feruendo fermentationem appellamus, & id donec acidum vt supremum vicerit alcali, in illa pugna ambæ facultates (sapores, instrumenta, mechanica vel etiam architectonica, voca vt lubet, vel etiam Archeus, calidum innatum, &c.) patiuntur ingentem cladem, fit-

*Fermentum quod feruendo crescit.*

que internecio vigoroſa, acidi ab alcali abſorpti & peſſundati ac fatiſcentis: ambo cadunt mutuo amplexu in cadauer (vini reſpectu) quod Tartarus appellatur.

*Spiritus Tartari.*

Hunc ex retorta ſi diſtillaueris, acidum excitatur à calore, & & rurſùs incipit agere in alcali, illud autem viciſſim in acidum, fitque noua fermentatio, ob id lentiſſimo igne agendum eſt: & licet recipiens vas, vt vt magnum, fermentationis tamen incondenſibilis odor (Gas, vocat Helmont) percipitur longè, vincit tandem alcali acidum, illudque planè abſorbet, & ambo pro maiori parte fixantur. Liquor & oleum in receptaculo, ſaturati ſunt alcali volatili, quod egregij eſt vſus per ſe, paucis tamen cognitus. Diſtillatum liquorem & oleum, ſi rurſùs capiti mortuo affuderis, tunc alcali volatile, quod liquor continebat, abſorbetur ab acido in capite mortuo, & fixatur; quod

autem rurſùs tunc ſtillat, erit aquæ elemento vicinius & minoris efficaciæ. Reformator verò vt vbique, ſic etiam hûc grauiter impingit, ait enim *a* : *vulgaris ſpiritus tartari, qui à ſuo relicto capite mortuo non rectificatur, nullâ ratione pro puro ſpiritu tartari haberi debet.*

a *Mantiſſa Hermetica*, fol. 745.

Ex hoc ſuo rectificato ſpiritu tartari ( & proprio inſipido cerebro ) componit medicamentum, profectò lacrymabile, quod vocat *b* : *mixtura de tribus ex mineralium ſpiritibus.* Primò alcali volatile in tartaro ſaturatur, cum acido ſulphuris antimonij, idque vocat, *ſpiritus Antimonij Tartariſatus*; ſi fortè fortunâ aliquid alcali volatilis adhuc ſupereſſet! en, quid agit? illud deinde mortificat cum aceto ex ærugine & acido vitrioli: Vnde hæc diſpendioſa, ſed artificioſa & inutilis compoſitio, conſtat ex aqua elementali & aceto: hanc mixturam antiqui *poſcam* nominarunt; huic Reformator nihil niſi

b *Mantiſſa*, fol. 750.

nisi fætorem tartari addit.

Spiritus autem tartari prudentiâ ab Hippocratico distillatus non est acidus, sed subamarus, & alcali volatili saturatus, cui si spiritum vitrioli affuderis, incalescit, ita vt lagena vix manibus teneri possit, euidenti argumento, quòd acidum vitrioli, alcali tartari absorbeat, sicut calci aquâ affusâ contingit: & quemadmodum in calcis calefactione salia moriuntur, & in neutrum degenerant; sic de spiritu tartari, cum acido quocumque misto, intelligendum est. Ita enim docet *a* Hippocrates Doctor meus. Redeo nunc vndè digressus, ad Chymicam nimirùm vini fermentationem, cuius causâ tartarus cecidit in fundũ, vt cadauer.

*Permixta alterantur. lib. 1. de diata.*

Aciditas verò per liquorem sparsa, illi dominatur, defenditque, & vocatur vinum; huius aciditas fit palato grata, respectu alcali, quo cum amicitiam iniuit, acidumque temperat, donec tandem aciditas alcali pertæ-

ſa, aut calore iterum excitata, ſu-perare contendit alcali; fitque noua, at inſenſibilis pugna, vinumque magis aceſcit, vocaturque communi nomine acetum. Cui ſi per alembicum ſeparatur aciditas, & fundus per ignem concrematur, tunc reperitur ex tartareo illo fundo alcali, quod tamen multis impoſſibile videbitur in tanto acido alcali reperire, & tamen verum eſt *a*, idque voluit Philoſophus *b* inquiens: impoſſibile eſſe materiam, cui non ſubſit aliqua forma.

Huic alcali ſuperadde acidum diſtillatum, & euoca phlegma aquoſum, odorem aquæ ardentis habens; tunc ex acido & alcali, habebis tartarum regeneratum, qui ex retorta dat oleum pingue & aquam amaram, alcali volatili ſaturatam. Ex phlegmate per phiolam longi colli euoca pingue ardens aquoſum, quod aquam vitæ appellamus: reliqua pars eſt aqua elementalis. Pingue, reaſſumit alcali, de

*a Abſque arte non reperitur in natura acidum purũ, ſine alcali mixtum, & vice verſa Hipp. lib. 1. de diæta.*

*b Ariſtot. primo phyſicorum.*

*Sic Rector paulatim à ſenſibus noſtris externis, in nihilum recidit: adeò vt non inueniat*

quo rurſùs evoca aquam elementalem, repete hanc operationem, & tota vini ſubſtantia in aquam & terram elementalem omni ſapore & odore priuatam tranſit. Hinc patet, quod vuarum ſuccus, alcali & acidum (in quo Rector habitat) conſeruauit, per varios caſus, per tot diſcrimina, vſque ad vltimam ſui annihilationem.

*homo opus, quod operatus eſt Deus. Eccl. c. 3. v. 11.*

****************

## *Deſertam & incultam viam explanat.*

### Capvt XIX.

QVod præcedenti capitulo in in vuarum ſucco oſtendi, illud ipſum de omnium vegetabilium ſuccis intelligendum eſt, omnibus ſiquidem ineſt acidum & alcali, magis & minus, vt Hippocr. & experientia docent: eâ tamen differentiâ, quòd in illis, quæ frigida appellamus, prædominatur alcali, & non ſunt

fermentabilia, nisi externo acido aut calore sint excitata: quæ verò calida in ijs acidum prævalet, & ob id facilè fermentabilia vt in progressu apparebit.

Quorumdam etiam vegetabilium alcali, est vicinius fixo, & ideò cum acidis mineralibus coit, sicut ostendi in gallis, semperuiuo maiore, granorum corticibus &c. Quorundam est multò delicatius, eapropter acida mineralia illud confestim absumunt, quatenus sunt nutritiua, & animalium digestioni accommodabilia, quæ consistit in mitiori acido; horum census sunt pyrola, Alchimilla, Betonica, Farfara, &c. quæ vulneraria ob id nominari cæperunt; quorum alcali obortam iniustam aciditatem in stomacho, vt & in vulnere minuunt, inhibent atque arcent, quia aciditas omnis extra stomachum noxia est, morbosa atque putredinis comes, quam vulgus ab effectu calorem dicit, febrim enim excitat, & vulnera

*Corruptio omnibus mutuo, inter se est, maiori à minore, & minor à maiore Hip. lib. 1. de diæta.*

putrefacit. Illud acidum, vt caloris & putrefactionis initium, obſeruarunt quàm plurimi periti Chirurgi in vulneratis; eâ de causâ illis prohibent vini vſum, & quidem rectè, ne ſubtilis & vaporabilis vini aciditas malum augeat; harum alcali, inquam, non fit manifeſtum, cum acidis mineralibus; ſed quoniam ipſa ſunt nutritiua, idcirco dictum alcali, ſe aſſociat ſui ſimilibus [a] nutritiuis, & mitioribus acidis, quàm mineralibus; vt pote diſſolue ſalis ſaturni (facti cum aceto diſtillato, illud enim animalium digeſtioni non reluctatur) drachmam, in vncijs tribus circiter aquæ diſtillatæ (quæ alcali volatile non habeat) roriſmarini, lauendulæ, rutæ &c. permitte vt fæces deponat: hæc ſolutio ſapore dulcis, plumbum abſconſum continet. Hoc in ſolutum pellucidum, ſtilla ſuccum clarum dictarum herbarum vulnerariarum, & illicò lacteſcit; pro ſigno, quod alcali her-

[a] *Natura gaudet in ſua natura.*

bæ abſorbet acidum ex plumbo, quod paulatim cadit.

Quemadmodum enim alcali fixum, Mercurium; & alcali fixo vicinior, vitriolum præcipitant, vt ſuprà oſtendi; ſic etiam hîc mitius alcali requirit & mitius examen.

*Paracelſi ſcientia analytica corporum.*

Paracelſus occultum illud herbarum alcali primus obſeruauit, qui harum gradus minutiſſimè, fortaſſe ſimili examine didicit; obſeruauerat in vulneribus, putredines ex acido prouenire, hinc febrilis calor, & vulnerum corruptio; qui primus, inquam, potiones vulnerarias præſcripſit, & fœliciter dictam aciditatem & putredinem coërcuit, vocauitque eas herbas vulnerarias. Et licet Ioannes Tagaultius Gallus, & Gabriel Fallopius Italus, Medici clariſſimi & Chirurgi excellentiſſimi, in vulnerum curatione potiones vulnerarias damnent, & explodere conentur; aſſerentes eas ſuo calore ſanguinem in corpore inflammare, ex-

tenuare, eiusque eruptionem è vulnere excitare: tamen cùm simplicia vulneraria non cuilibet Chirurgo nota sint, & sine distinctione vel graduum cognitione præscribuntur (omnibus enim adire Corinthum non contingit) experientiâ etiam dictæ potiones comprobatæ sunt, cum quibus Paracelsus etiam pulmonum vlcera fœliciter sanauit, vt historiæ testantur; non minùs & hecticam febrim, vt nos quoque experti sumus, quæ est vniuersalis & solidorum inepta aciditas, quam vnico verbo calorem appellamus, quamq; dicta alcalia longè promptius lacte absumunt & absorbent, vt suo loco ostendi, & ipsa sanatio docet; nos potiones vulnerarias in curatione vulnerum meritò retinebimus & vsurpabimus.

*Pedis vel femoris vlcera, & vulnera sanant turtionibus quidni etiam idem in pulmone facient?*

Aciditatem *a* esse, caloris & doloris causam obseruarunt cum Chirurgis, quàm plurimi emunctiores Medici, sicut etiam, quòd cornu Cerui vstum, acetum &

*De specifico acido hic sermonem instituere compendij breuitas non permittit, vide tamen cap. 23.*

reliqua acida omnis generis in ſe abſumit, vnde illud in maxima doſi, ab vncia ſemis ad vnciam, in aqua refrigerante, alcali volatile continente, fœlici ſucceſſu febricitãtibus propinarunt. Nam ſicut cornu cerui vſtum, ex aceto abſorbet & combibit acidum volatilem ſalem, ſic aciditatem in quibuſdam febribus obortam tollere & abſumere, non ſine magno animi gaudio animaduerterũt.

*Occulta alcalia.*

Præter vulneraria, ſunt & occultiora & volatiliora alcalia in herbis, quas refrigerantes nominamus, vt lactuca, portulaca, Farfara, intibûm genera & ſpecies, quorum alcali valde eſt fugitiuum, & reperitur non ſolùm in ſuccis, ſed etiam in aquis earum diligenter diſtillatis: vnde dicitur, quòd huiuſmodi herbæ exſiccatæ nullius ſunt valoris, quia earum alcali expirauit.

Sic & aqua diſtillata ex ranarum ſpermate (totum enim ſperma cum patientia ex balneo eleuatur in puram aquam relictis,

granulis nigris & aridis, quæ non ſunt reijcienda) abundat occulto volatili alcali, & plumbum ex dicta ſolutione illico præcipitat promptiùs & copioſiùs, quam vlla alia aqua refrigerans; hæc aqua magni eſt æſtimanda, in plurimis affectibus ex peculiari acido: deſperatam enim hæmorrhagiam ex vtero, feliciter ſanatam noui, quatenus ſanguinis aciditatem primò abſorbet, poſtea inhibet & arcet. Hæc etiam aqua, dolenti parti podagræ applicata, ſtatim dolorem mitigat, quatenus acorem mortificat & alterat. Cum verò dolor eſt vehementior, tunc aciditas eſt in maiori copia & vigore, alcali volatile cauſam abſumens, manifeſtior tunc eſſe debet; tollit verò dolorem ſine dubio; hinc diſcitur, huius cauſam ex acido prouenire; ſi aliàs, à *iuuantibus & nocentibus ſumenda eſt principalis indicatio*, vt Auicenna docet. Veſaniæ itaque ſimilis eſt quorundam canonicorum Medi-

*Aqua refrig. occulta habent alcali.*

*Alcal. volat. podagræ dolores abſumunt.*

corum ſtulta opinio, quod contra Hippocratis doctrinam, contrarijs mederi, & huiuſmodi ſimplicibus catarrhum vt aiunt repellere, maiuſque malum cauſare ex ignorantia timent, & idiotis perſuadent. Alcali enim volatile Hippocrates indicat inane & vacuum, quod omnem dolorem podagricum (non loquor de nodoſa & coagulata) arthriticum, nephriticum, ſciaticum & ſimilia, pauciſſimo ſpatio, externè ſaltem adhibitum tollit, quatenus acidum doloris cauſam, confeſtim (impatiens inanitatis) combibit & abſumit.

*Podag. nodoſa coagulat, vt calculus, diuerſo ſaltem acido.*

Sed non ſolum aquæ ex refrigerantibus herbis diſtillatæ, verùm etiam aqua communis, putealis vel fluminis, alcali occultum continet, cuius ratione nutrit animalia *a* & plantas omnes. *Ferrum ignitum, ac in aqua extinctum acquirit robur* docet Hip. citato libro, & quotidiana experientia: ferrum enim habet

*a Hip. l. 1. de diæta.*

*Aqua ſimplex nutrit, & in aqua eſt*

nimium volatilis acidi, à quo ſponte in ſcoriam & ferruginem abit: cum verò acidum ab alcali combibitur, tunc magis reſiſtit. Sic fabri cultrarij & gladiorum, perungunt opus cornuum raſurâ; cum illa igniunt lamina, donec raſura liqueſcat, & alcali ex cornubus attrahunt, & tunc fiunt robuſtiora. Hæc eſt cauſa, vt tranſeuntes eorum officinas nonnunquam cornuum vſtorum fætorem percipiant. Facillimè autem probatur alcali occultum contineri in aquæ ſimplici ex ſupradicta ſalis Saturni ſolutione, quæ ſtatim lacteſcit ab ea. Sic etiam argentum in aqua forti ſolutum, huic ſolutioni ſi addideris aquam ſimplicem, ſtatim lacteſcit; cum verò eadem aqua diſtillata fuerit, tunc alcali non aſcendit, vt neque argenti ſolutio ab ea lacteſcit amplius. Qua de cauſa Io. Bapt. Porta iubet *a* aquam bis vel ter diſtillari pro arbore ex argento & Mercurio, quem vulgus (ineptè)

*magnum ſecretum inquit Hermes.*

*Norent canonici medici, quod Alcali aqua communis non aſcendit per alembicum, ideo diſtillata non refrigerat ſicut ſpermatis ſupradicti.*

*a li. 5. magiæ natur. cap. 5.*

Philoſophorum appellat. Sic etiam diſtillata aqua ex cephalicis, neque argentum neque plumbum, ex ſuprà nominato ſoluto præcipitant, quas dixi in ſuccis alcali non continere. Adeoque illa ſaltem ex refrigerantibus diſtillata, vt & communis non diſtillata continent alcali volatile: huius alcali ratione aqua nutrit; hinc Lactantius *a*: *in aqua ſunt omnia*. Quod ante Hippocratem Thales Mileſius, fortaſſis hac arte, etiam cognouit: teſte Laertio in Thalete. Sic Hermes antiquiſſimus. Aqua, inquit, eſt ſuſceptibilis nutrimenti in hominibus & alijs: Et ſine aqua non operatur natura, &c.

*a* *Lib. 1. cap. 5.*

Quoniam de aquis refrigerantibus eſt ſermo, non prætereundus abuſus aquæ roſarum, quas refrigerare dicunt, quod tamen hac mechanicâ reprobatur.

Venetijs, hæc vt & omnes ferè aquæ, diſtillantur ex cupreo inſtrumento, (nonnunquam ſtanno

no intus oblinito , quandoque ob vetuſtatem ſtannum eſt conſumptum ) hanc aquam propinant pueris, quia vermes enecat expellitque, nonnunquam etiam vomitus mouet; hanc operationem & virtutem vulgus aquæ roſarum adſcribit. At aqua roſarum non eſt frigida plane, ſed temperata , eò quod occultam & inſenſibilem aciditatem inſeparabilem habet , quæ aquam non deſerit, vſque in ſui annihilationem: cùm itaque per cupreum alembicum fluit , occulta eius aciditas abradit de cupro quaſdem atomos , quæ inviſibiliter aquæ commiſcentur : vis videre cuprum ? ſtilla in portiunculam huius aquæ, vnam vel alteram guttulam alcali vrinæ, & illicò tota aqua virideſcit, eò quod aciditas aquæ, avidius arripit leue alcali magis ſimile , quam metallum ; quod ideo paulatim in viridem fundum cadit ; tunc aqua non amplius vomitus mouet , neque vermes

*Aqua roſarum non refrigerat niſi per plūbum ſtillata.*

necat, eritque similis illi, quæ per vitrea vasa distillata fuerit: fundum autem viridem liqua cum borrace, & redit in cuprum.

*Olera omnia continent alcali volatile, refrigerant, & sicut vulneraria omnia; nutricibus lac generant, acida enim, lactis impedimenta, sunt.*

Non solum autem herbæ vulnerariæ & refrigerantes habent occultum alcali nutritiuum, sed etiam olera omnia; ob id expetuntur à stomacho, acido excedente: hoc alcali est in causa, quod rarò inebriantur, qui ante strenuam potationem brassicam coctam comedunt; alcali enim huius herbæ, sicut temperat acidum vini inebriatiuum in stomacho, ita in vitro illud absorbet & absumit.

*Specifica remedia.*

Quare autem quædam simplicia, vt millefolij succus hæmorroidibus, Fumaria ictero, rusci vrinæ, Guaiacum & sassaparilla luæ venerei, aliaque quàm plurima alijs specialiter conferunt: vt & in quo consistat purgantium facultas, ea nunc hîc enarrare nimis operosum esset? lampada tradidisse sat est; hoc

ſcripto ſaltem, occulta hactenus ſalia manifeſtare, inuitâ minervâ coacti ſumus.

Suſurronnes hîc audio, quòd cum plumbo ſoluto vegetabilium alcalia volatilia demonmonſtrare contendo, cùm etiam ſalſa quæque, plumbum ex hac ſolutione præcipitant (id nimirum eſt quoſt antea confeſſi ſumus) hac tamen cum differentia; quòd plumbum cum ſale cadit pulueris formâ, clarum ſupernatans diſtilla, & habebis acetum, quod plumbum ſolutum gerebat; cadit autem ex aceto, quia ſal aceto affinior quàm metallum: ſed miſce alcali herbarum, vel potius ſtilla ſuccum dictarum herbarum in illud ſolutum plumbi, tunc non præcipitanter cadit in pulueris forma; ſed fit inſtar pultis: diſtilla ſupernatantem liquorem, tunc non acetum, ſed aquam inſipidam indè hauries, manifeſtoque hoc argumento patet quòd alcali aciditatem abſorpſit.

*Obiectio.*

Quantum luminis Hippocratica hæc doctrina addit medico, tam in componendis medicamentis, ne vnum alteri obsit (imò simplicium virtus miro modo hac scientiâ exaltari potest) quàm etiam in morbis sanandis: iudicent ij, qui sapores distinguere, & modestè invertere norunt; quod adhuc, vnico vrticæ exemplo ostendere satis erit: quæ recens & madida vrit, & vesicat, siccata adstringit, & sanguinem sistit: succus eiusdem, in plumbo soluto coagulatur in offam nigram; quæ rursus in alcali fixo, statim diuiditur in obscurum, penetrabilem tamen colorem: inde discitur, quod vrtica arefecta, cocta in lixiuio alcalizato (dulce tamen vt vocant) canitiem impedire, si quoquo die capilli cum eo pertingentur: cum vitriolo denuò in in grumos concrescit flauescentes, qui cum spiritu eiusdem vitrioli, iterum dissolvuntur in pellucidum liquorem.

*Solutio.*

*Vrtica vires.*

Huiusmodi existimo fuêre *absconsæ virtutes radicum*, de quibus Salomon, *& virgultarum differentiæ, quas didicit à sapientia omnium artifice, disputans de hissopo ad cedrum libani*; non enim credibile est, quod verba funderet de primis qualitatibus & gradibus elementalibus, quas linguâ metiri promittunt nostri Botanici; de his, inquam, dici non potest, absconsæ virtutes.

Hoc est quod voluit Arnoldus de Villa-noua, licet ob alias causas, eius opera correctione indigeant, a *vbi in promptu habentur simplicia*, inquit, *dolum esse, si quis compositis vtatur.*

a *In Aph.*

Huic studio olim cum operam darem, strenuam mihi opem præstitit insignis atque multarum rerum peritissimus Botanicus & Pharmacopola diligentissimus Ioannes Maria Ferro, sub signo sanitatis huius inclytæ vrbis, qui singulari curâ & studio omnis generis vegetabilia, aceruatim accumulabat, cuius

*venetiarum.*

induſtriæ profectò quàm pluri-mum debeo & gratiam habeo.

*Ad quartan. puluis.* Huius ſtudij ope etiam compoſitum puluerem inueni, qui chinellæ vires ſi non ſuperat, ſaltem ei æquiualet in quartana; quod teſtantur, qui hunc ſub ſanitatis ſigno emerunt, & in vſum adhibuerunt.

## *Spiritualis plantarum repræſentatio.*

## CAPVT XX.

*a Cap. 23.* EX dictis & oſtenſis emergit fundamentum, quo procedere debeat plantarum ſpiritualis regeneratio, de qua Quercetanus *a* in libello contra Anonymum; quamque ſe vidiſſe ait apud *medicum quendam Cracouienſem, qui adeò eleganter cineres cuiuſuis plantæ apparare nouerat, earumque ſpiritus omnium facultatum autores exactiſſime conſeruare, quarum ſupra triginta vaſculis diuerſis vitreis*

*hermetico sigillo obsignatis habebat, vt si quis rogaret, sibi rosam aut calendulam demonstrari: tunc cinerem illius cum vasculo, cuius speciem esset editurus, vasculo rosæ titulo insignito, vasis fundum lucernæ admouit, vt aliquantulum intepesceret; tunc tenuissimus ac impalpabilis ille cinis, ex se apertam rosæ speciem emittebat, quam sensim crescere, vegetari, ac formam penitus totius rosæ floridæ, vmbram ac figuram exprimere videbat. Hæc autem vmbratilis figura, vase ab igne remoto; rursus in suos cineres labebatur: Hoc arcanum summo studio perquisiui nunquam tamen assequi potui.* Hæc ille.

Hippocratico Philosopho, hæc plantarum spiritualis resuscitatio non vsquè adeò difficilis videtur, præsertim quando non violento, sed molli igne procedit, naturam imitando, vt docet Magister. Modum excogitaui, quem tamen hactenus experientiâ nondum confirmare, propter huius loci ad

*Vulgus cremat per ignem, Hippocraticus per aquam.*

hoc studium incommoditatem ; potui, hunc curiosis hîc exponam.

Ostendi ex Hippocrate ad oculum ACIDVM & ALCALI architectonica naturæ instrumenta, omnibus sublunaribus inesse: hæc cum artifici non subiacent, sed solius naturæ regimini; tunc istud subiectum crescit & vegetat, vt testatur abiectissimus silex, de quo suo loco dixi. Si itaque crescit & vegetat; necesse est vt acidum & alcali habeat quoddam, *a* quod operationes ad suos fines dirigat. RECTOREM voco alibi, hunc tu voca vt lubet, modò rem percipiamus, propter verba enim nemini litem mouebo. Hæc tria, Hermes antiquissimus Philosophus vocauit corpus, spiritum & animam, adeoque tria hæc latent in terreno illo domicilio, quod figuram seminis nobis repræsentat.

*a Spiritum esse vinculum coniungens, animã cũ corpore alibi ostedi.*

*Naturam in omni rei similem docuerunt Hesmes, Pytagoras & postea Hippocr.*

Huius seminis, ex. gr. papaueris, flore pleno colligatur libra semis, Cœlo sereno; quod

temperato loco conſeruari debet in futurum ver: tunc veſperi obſeruanda Cœli claritas, quæ promittit ſerenam noctem, in qua ſemen exponendum eſt larga vitrea, elato ore tabula, ne decidere poſſit, & locanda in pratum aut hortum variarum florum & herbarum feracem, (niſi enim terra fuerit fertilis, ſterilem colliges rorem) manè ante ſolis ortum, rore madidum ſemen, curiosè de tabula vitrea demere, & in phiolam huic rei aptam *a* oſculo cerâ benè obſignato ſeruare debes, ne ſpiritus expiret, qui adeò leuis eſt à ſpiritibus (quos occultè acidos & volatiles ſequenti capite, imo occultum vitæ cibum *b* oſtendam) quibus in aere impregnatus, vt cum incluſus in oui teſta fuerit, & appoſitus haſta *c* obliquè poſita, tunc ouum à ſolis calore eleuatur ad ſummitatem haſtæ, vt docet Hildebrandus *d*, ſed à ſemine abſorbeatur. Deinde rursùs ſerenâ nocte, tabulam

a *Vaſcula fuerunt, inquit Quercet.*

b *Cum Coſmopolita.*

c *Quæ vt opinor non rotunda eſſe debet.*

d *In Magia naturali.*

cum ſeminibus, ſereno exponere debes, in dictum pratum vt rorem hauriat, quem iterum ante ſolis ortum in phiolam dictam obſignabis ne fugiat; ſic ſemina paulatim à rore hauſto turgere incipient, acidum & alcali à rore & ſuperum influxu vires acquirunt, quæ Rector dirigere incipiet; ſic expoſitio & repoſitio, tam diu repetantur, donec germinationis & vitalitatis ſigna edant.

Interim dum hæc fiunt, oportet in eodem prato, cum mundis linteis, ligneis baculis expanſis rorem colligere, hunc in vaſe vitreo optimè clauſo cuſtodire, qui dum quieſcit, deponit ſuas fæces (à puluiſculo per aera volitante;) huius puri roris, tantum ſuperfunde ſeminibus, vt digitum tranſuerſum, plus minus ferè ſuperemineat, & ſic collocata in balneum vaporoſum (Raimundus enim docet [a] *illud quod facit natura, Solis & Stellarum calore; hoc idem facit per*

[a] *In Teſtamento c.* 24.

*calorem ignis, dum taliter temperetur, vt non ſuperet virtutem motiuam & informatiuam, quæ eſt in materia influxa deſuper)* clauſo phiolæ oſculo, cum liquato ſulphure: acidum & alcali in humido & calido, tunc in inuicem agere incipiunt, liberabunturq; à terreo ſeminis corpore; quo incluſa, & dierum curriculo hæc naturalis compoſitio in ſummitate virideſcet, ſicut aquis ſtagnantibus, per æſtatis calorem ambientem, & in vmbra latentibus, contingit; ſub viridi iſta pelle perficitur tunc facultatum vnio, quas volatiles, vnà cum Rectore ab acido inſeparabilit( per ſe mori neſciens *a*) oſtendi; quam vnionem, confermentationem appellare licet.

[a] *Vt docet Hipp. lib. 1. de diæta.*

Domicilium vel ſeminis corpus, mortua ſubſtantia erit, quæ viriditatem, id eſt fermentationis bullas, cum liquore ſuperfluo, in ſex dierum curſu abſorbet, vt vidimus in ſtagnis viridè efflo-reſcentibus, vertiturque paula-

tim in puluerem ſubtiliſſimum cineri ſimilem, quando maturitatem acquiſiuit.

Hoc vaſculum cum intepuerit, vt vidit Quercetanus, ſine dubio roris leuitas confermentata cum Rectore & facultatibus ſeminum, eleuabit papaueris iconem.

Vaſis oſculum, ſi vitro liquatum fuerit, nunquam periturum exiſtimo: vt & quod practica, de verbo ad verbum ſpeculationem non ſequatur; ob id requiro ſolertem & ingenioſum experimentatorem. Hactenus, vt dixi, mihi periculum faciendi locus commodus Venetijs non eſt, neque erit, propter defectum fœcundi & puri roris, qui turbatur ab hali nitro *a* indeſinenter hîc ſpirante, vt muri omnium ædium teſtantur; cui & ipſi rores, quatenus etiam ſubtilis exhalatio, vt Ariſtoteles docet *b* & propria experientia confirmat, commiſcentur, mixtique recadunt.

a *Hali nitrum fit ab exhalatione putridæ vrinæ, & varijs commixtis, ſibi amplexis.*

b *Lib. 1. metœororum.*

Huiuſmodi

Huiusmodi vmbratilis rerum regeneratio à Paracelso, in naturali Hippocratica doctrina illuminato, sub Homunculi generatione occultata fuit; quem quidam medicinæ Satrapæ, huius doctrinæ ignari, secundum litteram intellexerunt *a*, atque virum, vt impium, in exilium proscripserunt.

a *Sennertus de consensu edis.* c. 4.

Addo quod in vniversa Philosophantium schola, etiam cum magno labore, nihil reperiatur, quod mysterium resurrectionis, nobis ad oculum clariùs demonstrare posset, quàm hæc naturæ propria instrumenta, ab Hippocratico suis à quisquilijs mundata, atque recõiuncta, revnita & regenerata: si mysterium huiusmodi esset per naturalia demonstrabile.

*Dicta in summam contrahit.*

## CAPVT XXI.

ALcali & acidum volatile in vegetabilium familia, concremantur per ignem, in sal fixum vel in planè alcalizatum. Modum quidem verbis magnificis promittit Reformator in mantissa Hermetica *a*, nullibi tamen reperibilem; interim vituperat salia, quorum cineres cum sulphure combusti sunt, reprehenditque Hartmannum *b*, vt *pessimum scriptorem, nihilque ineptius doceri* inquit, quàm salia alcalia acidis miscere (quasi ipsus non docuisset Alcali viperinum, cum acido spiritu salis miscere; sicut etiam spiritum vitrioli, cum sale absinthij alcalizato, sub titulo *spiritus vitrioli coagulatus* c, ac pariter in appendice fol. 100, summis rursùs laudibus extollit huiusmodi mixta salia) & paulo post iterum admittit cineres cum

*a* Fol. 788.

*b* In appendice fol. 101.

*c* Mantissa fol. 789.

sulphure calcinati, sub incertitudine dominâ, quid eligendum.

Sciendum est, nullum vegetabile habere fixum sal, cuiuscunque sit generis, nisi comburatur actuali igne, ita vt acidum vstulando in alcali, & vicissim alcali in acidum agere & apprehendere queat, vt in vini succo & eius tartaro fieri ostendi. Testis mihi erit lignum putridum, licet hoc summo studio in cineres redegeris, quocunque lubuerit igne, sal non exinde elicies; acidum enim & alcali, ambo volatilia, ab aere absumpta, & nil nisi cadauer inutile reliquêre: sin verò comburantur ante putrefactionem, tunc habebis intentum.

*Aer volatizat.*

Principale studium & labor itaque erit in hoc opere, vt herbæ sint recentes & minimè flaccidæ; tunc nimirum concremando, innata humiditas cum bullit, soluit acidum & alcali, quæ soluta agunt in inuicem, vnum apprehendit aliud, & ambo fixantur

*Actio hæc vocari meretur Fermentatio; transmutantur nimirum naturæ instrumenta.*

iuxta concreti proprietatem: pars autem quæ aufugit cum flamma, & ab acido non arrepta fuit, in fuliginem abit; ex aqua alcali volatile facili methodo elicies; nũquam autem ſal fixum, ingenio tamen, ad conſtantiam reducitur.

Fermentatio, hæc actio vocari meretur; tranſmutantur nimirum ambo inſtrumenta naturæ in vnum artificiale: quod ſicut in ſaponaria & vitraria arte cum acido, ſuo contrario, in neutrum vertitur; ſic etiam in humano corpore contingit; cum à prudenti ac Hippocratico medico adhibetur, vel adminiſtratur ſuo contrario; *eadem enim eſt operatio*, vt docuit *a* Magiſter.

a *Lib. 1. de diæta.*

Exemplum ſit Abſinthium viride; iſtud viride, ſub camino vel loco aperto accenditur, flamma impedienda ſummo ſtudio; ſatis erit in cineres eſſe conuerſum, qui poſt concremationem in larga olla terrea & humili, vel ſuper ferrea elatæ oræ tabula vel lamina, accenſis ſubtus carboni-

bus, fornaculo venti vt portellâ, claudi & aperiri pro necessitate queat; spatulâ ferreâ semper mouendo cineres donec optimè albescunt, quos sacco lineo acuminato, (vel si pauxillùm) cartæ acuminatæ impone, & aquam cõmunem perfunde, quæ cum transcurrit sale prægnans, lixiuium vocatur; hoc percolatum lixiuium, in sartagine ferrea (non vncta in culina) celeri ebullitione coagula & constringe in massam, & quando instar mellis spissescit, assiduè spatulâ moueto, & exsiccabitur in puluerem griseum, quem statim ollæ non vitreatæ, fornaculo venti clauso ostiolo, impone ac obrue carbonibus minutis puluere mixtis; sensim calefacito; vix ad brunitatem, non autem vt fundat, refrigerato; proijce sal in vitreum vas, vt sufficienti aquâ dissoluatur *a* moue cum baculo ligneo aliquoties; tunc solutum quiescere permitte duas vel tres dies, clarum à fæcibus sine ma-

a *Salis vnciam aqua libra sic optime depo-nis.*

gna agitatione effunde, & in plumbeo vel vitreo vase, in arenam posito, aquam exhalare sine bullis permittes, donec salina cuticula supercrescat: tunc remoueto vasculum, & sequenti mane collige splendentia grana salis, quæ aquâ limpidâ celeri motu abluenda & exsiccanda sunt. Remanens lixiuium iterùm arenæ impone, vt aqua exhalet, vt pridem, ad cuticulam. Ambo hæc salia coniunctim in vno vasculo sunt asseruanda, quæ hoc modo parata, referunt sui concreti crasin.

Reliquum lixiuium vrinacei saporis, & fætulenti odoris pro vitris abluendis relinquendum. Hæc est facilis & naturalis ratio parandi vegetabilium salia, quæ nunquam liquescunt per se, neque ingrati sunt saporis. Libra huius cineris fundet ferè vncias quatuor salis purissimi, sed aridarum herbarum cineres, libræ quatuor vix dabunt salis vnciam.

Alcalia fiunt ex vegetabilibus,

eodē modo, quorum tamen quædam facilè in liquorem vertuntur, vacua enim ſunt; ob id ex aere quærunt exſatiari, vt ſuprà in occulto aeris acido indigitaui, quod ſufficit.

*Quæ herbæ dant alcalia? ſalſa vel acida ſuprà ſatis oſtendi.*

Reformator cineres coquendos, & lixiuium inſpiſſari ad ſiccitatem, & poſteà fuſionis igni ſine diſcretione committendum docet *a*. Sic loco ſalis vegetabilis, ſemper inane & cauſticum alcali euadit: ſal enim abſinthij, fundamentali ſuo puncto eſt ex acido ſalſus, & non planè fixus, vt oſtendi; ſin verò fuſionem patitur: tunc agunt in inuicem ambo ſapores, & in alcali fixantur, ſicut omnibus acidis arte paratis ſalibus contingit. Igitur ex ſolo ignis *b* regimine alterantur res, mutant nomen, virtutem, & efficaciam. Hæc eſt cauſa quod vires ſalium nunquam ſunt æquales ab ignaro præparari, quando nimirùm alcalizantur, laudantur ab imperito (ex. gratiâ, ſal abſinthij) in

a *Martiſſa fol. 789.*

b *Ignis profeſſor publicus.*

colica profuisse, quæ tunc ex acido erat, quod combiberat; cum verò ex acido salsus, & adhuc volatilis à perito præparatur, stomacho & in antiqua oppilatione prodest: & tunc est basis in cachectico puluere *a* Quercetani. Causam humoribus noxijs adscribunt.

*a Puluis cachecticus.*

Sic multa fiunt fixa, si debito calore, & iuxta subiecti perpessionem, & suis requisitis tractentur, quæ aliàs erant volatilia: alium nimirùm calorem & instrumenta requirit sanguinis fixatio, aliud ingenium quando nitrum & arsenicum fixantur, aliud quando totum nitrum solo odore in terram vertitur, aliud vas & ignem quando Mercurius per se quodammodo fixitatem induit, alia requisita quando antimonium & sulphur fixantur; sic etiam alia operatio est salium, quæ omnia sunt volatilia, vt in ligno putrido ostendi.

*Omnia ipsis fiunt per Diuinam necessitatem Hipp. lib. 1. de diæta.*

Hæc est ratio quare ligna (ex quibus componunt naues

bellicas Veneti, sapientissimi & prudentissimi Patres) recentia iubeant aquis submergere, in ornatissimo ac instructissimo Armamentario, idque per multos annos, ne scilicet aër illa penetret; fiuntque sub aquis tam fixa, vt saxa æmulentur.

*Veneti ingeniosi.*

Sin verò in aëre flaccescere incipiant, priusquam submergãtur, debent modestè aduri, vt acidum & alcali in inuicem liquentur, & quasi incrustentur; sic per sæcula non corrumpuntur, neque putrescunt. Sic incrustantur pali, qui in terram defiguntur, pro fundamentis magnorum ædificiorum, ne marcescant.

Hortulani in hisce insulis, in cineres reducunt herbas in aere arefactas & earundem cineres vẽdunt Pharmacopæis bonâ fide; hi cum parum aut nihil salis exinde eliciunt, & ob id, horticultores reprehendunt nullius eos valoris fuisse: respondent quod transpcrando cineres, aqua marina sal abstulerit; facilè id cre-

dunt plurimi, aliam causam ignorantes.

Cùm verò in cineres reducuntur vegetabilia recentia, vt fit in Lithuania, Scandia, & Moscouiâ pro cineribus clauellatis; tunc in ignea ebullitione acidum & alcali se inuicem apprehendunt, *a* colliquantur, atque fixantur. Cùm verò vrgeantur igne liquefactiuo, vt docet Reformator, tunc naturam mutant, & in alcali vitrificans vertuntur, vt *Zoar* notauit *b* super Exodum: quod tamen, priusquam per ignem transierunt, concretis nec infuit, vt neque fixum: quod rursùs per inversionem, non solum induit volatilitatem, sed etiam in elementa reducitur, vt de alcali tartari ostendi.

a *In hunc sensum ait Basilius de sale armoniaco.*

b *Quando abrumpentur alæ meæ, tunc madidus aquis fiam.*

Sin verò alcalia cum proprijs oleis distillatis, iustâ proportione, debito requisitoque tempore, artificiosâ occultaque circulatione, ac idoneo vase coquantur, dant ens mirabile. Sic o-

leum Cinnamomi, abſorptū proprio alcali (modò veſtibus ſit ſpoliatum) tantum efficit in paralyſi ſimilibuſque morbis, quantum de illo ſperatur. Oleum tartari volatile & pingue, cum proprio alcali iuſtâ proportione, fit ſapo.

*Oleum fit ſal.*

Hoc exemplum de Tartaro cùm olim monoculus quidam, ore tenus per modum informationis, à me audiuiſſet, ſtatim coxit alcali viperinum cum oleo tartari, diuerſæ naturæ, ruſtico more, imò minori cum obſeruatione; quod coctione in phiola longi colli cum alcali ſaponis conſiſtentiam acquiſiuit: hic tamen amicam informationem mihi vitio vertit, in admodum longa epiſtola ſcribens: *Oleum tartari quod affundere iuſſiſti, piceam omninò naturam induit, eâque eſt ſpiſſitudine dum refrixit vt ſcindi poſſit; ita animaduerto me penitùs deceptum eſſe: verum quidem eſt, me ſæpiùs ex ore dominationis a ve-*

*à domo ingrati non recedit malum.*

*Qui amant erſi ruſtici ſunt, mirum in modum venuſti eu adunt*

*stra audiuisse, quod huius salis praparatio ingens lumen in Chymia prabeat, &c.* Magnus hic physicunculus tantum in ignauo cerebello, non habuit salis, licet de eo scribillans, vt huius inspissationis necessariam causam perquisiuisset, sed statim illud quod ignorat, *fucum, & imposturam esse scribit.* a Quemadmodum autem animaduertit, huius inspissationis causam vulgo, iisque saponem conficientibus notissimam; sic etiam animaduertit quæ reformat.

a Fol. 487.

Arrige ergo aures, omne oleum, vt & pinguedines, occultum habent acidum, in quod agunt alcalia, illudque absumunt, aliàs nunquam sapo fieret: oleum enim distillatum oliuarum rodit solvitque argentum insensibiliter, cum ei iniectum per breue tempus fuerit; quod nisi aciditas ei inesset, non contingeret: remanens spissum, ferrum à rubigine melius præseruat, quatenus per distillationem præfatum

*Oleum laterinum est acidum & calefacit.*

fatum acidum est ablatum, vertiturque vrgente igne in carbonem alcalizatum; quod affusione cuiusdam acidi spiritus ad oculum agnoscitur. Hæc est ratio, quare Armamentarij vrbis huius nobilissimæ præfecti, priusquam arma perungi curent, oleum ad medietatem ferè leni igne evaporare sinunt.

*Venetiarum.*

Sic vulgus in acerbis doloribus (plerumque ex acidis) expetit oleo inungi, quod ardet coram imaginibus, idque dolorem mitigat; hanc gratiam superstitiosi Græciæ populi attribuunt imagini, cui ardet lampas. Causa tamen est, quod illud spissum in lampade per flammam, amisit subtiliorem acidam partem: spissum vt est acido vacuum, impatiens nouo acido saturari rursus desiderat; illudque reperit in membro dolente; hoc extrahit, recipitque in se, & dolor cessat, aut saltem mitigatur.

*Oleum oliuarum spissum, A caii refero.*

Oleum antiquissimum inducere

*Oleum vetus quarè rancescat.*

balſami naturam credit vulgus, quia oleum centum annorum in Caſtello Brixienſi, ſubleuat multos à doloribus ex acido; cui oleo ob vetuſtatem, alcali ſupreſſit pro parte acidum, hinc tandem ranceſſit; ita & veneranda antiquitas compoſitionibus pro externo vſu, oleum vetus inſtituit.

*Poma putrida.* Eadem ratione poma putrida, magis refrigerant quàm cocta, quæ ideò anodina appellamus.

*Butyrum.* Butirum recens, plus habet alcali quàm acidi, adeò magis refrigerat quàm oleum. Hinc ſchola Salernitana egregiè admodum de eo refert.

*Lenit & humectat, ſoluit ſine febre Butyrum.*

Ea de cauſa non coagulatur in lacte, niſi lac prius aceſcat; & ſi in butiri confectionem fixum alcali inijcitur, quod acidum abſumit, non fit butirum, acidum enim debet coagulare alcali.

Sic & salia alcalizata, facillimè in aëre fluunt & dissoluuntur, sed quàm primum affunditur acidum vt alcali superetur, indurescunt & coagulantur.

*Sulphur acidum.*

Sulphur in sua pinguedine occultum habet acidum, & non solum in oleo, sed etiam in alcali promptissimè dissoluitur, nunquam autem in manifestè acido, licet potentissimo; sin verò accenditur sub vitria campana, tunc occulta aciditas vertitur in fumum, qui in succum cogitur acidissimum; & alcali, quod sulphur pridem amicabiliter suscepit, iam ab eo destruitur, fitque noua creatura diuersa à priore.

Laudatur autem sulphur à Dioscoride, in pulmonum affectibus; cui addunt alij, esse animam eiusdem: intellige cùm ab Hippocratico euacuatur, & in terram insipidam lacteamque fixatur: tunc inanitionis fit impatiens, rursùsque suo simili exsatiari desiderat *a*: auidè itaque

*a Sulphur in oleo leni coctum, fingit pulmonem, spiratque odorem putridum.*

combibit & abſorbet pulmonum acida putrefactiua, quæ à capite deſcendere firmiter creduntur: ſine tamen hac præparatione planè his affectibus inutile reperitur; quod veritatis perſecutores quotidie cum nauſea experiuntur. Hæc terra tunc à peritis lac ſulphuris meritò appellatur, perficitque plurima quæ Crollius titulo eius ſubſcripſit.

*Lac ſulphuris.*

Porro diſtilla etiam acetum (in quo oleum pingue & aquam ardentem eſſe oſtendi) fæces aridas ex retorta compelle, & exibit acidum & oleum pingue; carbonem relictum reduc in cineres, ex his aquâ communi alcali elicito, quod proprium acetum iterum combibit & abſorbet, ex phlegmate fit aqua ardens; ex alcali & acido, habebis tartarum regeneratum. *Sic omnia in omnibus*, id eſt acidum & alcali vbique deprehendes.

*Omnia in omnibus.*

Camphora (de qua acriter diſputatur, vtrum calida vel frigida) eſt alcali volatile, & à na-

tura, pinguedine propriâ ſaturata; ſicut ab arte ſimilia oſtendi: fætentem enim & rodentem aquæ fortis aciditatem, quæ ſolo odore ſuffocat *a*, in ſe combibit, ac cum ea olei formam ludit, non autem cum acido, benigno, ſuaui & grato ( acetum puto, vt & reliqui ſucci acidi ) : quod notandum. Eodem modo, malignum, venenoſum, intimis fætens & rodens, ſuffocans illud acidum, quod in acutis per venas hinc inde fluctuat, & patientes ſine intermiſſione exanimet camphora per os data, ſtatim in ſe abſorbet; vitalis ſpiritus fit purior & alacrior, acquiritque vigorem: quod inter practicos, primus obſeruauit Auicenna; vnde rectè eam, *Theriacam contra venena calida* appellat celebratque : *ſpiritus*, inquit, *vitalis, acquirit ab ea ſubtilitatem, & luminoſitatem vehementem, & propterea lætificat & confortat* : addo non reſpondere vulgatum illud, de Camphora.

*a Aqua fortis frequens odor Atrophiam cum acerbiſſimis doloribus generat, Vide & Helmont: de lithiaſi cap. 9. §. 71.*

*Camphora*

*Castrat par nares, camphora odore mares.*

*Si loquor absque veritate erubescam.*

NAm quotquot noui, qui illam à sordibus per sublimationem purificant. (Refinatores dicuntur) tam Venetijs, quam Amsterodami, quorum tota domus nil nisi camphoram spirat, sunt salacissimi & fæcundissimi, & nisi propriæ confessioni fides habeatur, in testimonium voca numerosam eorum prolem.

Camphora sic soluta in aqua forti, & cum aqua simplici præcipitata vel potius reducta, fit sapo, quocum mulierum manus perungantur, & posteà aquâ abluuntur: absumit acredinem illam, quæ cutem exasperat, redditque eas molliculas lacteasque: ornamentum singulare muliebri sexui; *quin & sanorum quoque cura, venusta-*

*tis causâ suscipienda esse* : docet magister *a.*

a *Praeceptionum libro.*

Quemadmodum camphoræ alcali, nil nisi vnicum acidum combibit : sic etiam Antimonium, proptio & innato acido vacuum; quod consistit in subtili ac venenoso nullius ferè ponderis habitu [illegible] ; vt docet vitium eius vel puluis, Mercurius vitæ appellatus ; ex quo cum vino acidulo (suo simili non dulci) extrahitur venenum quod stomachus abhorret, ideòque hoc vinum per os assumptum, magnâ violentiâ per vomitum & secessum à vitalitate reijcitur, ac per accidens aliquando morbos primæ regionis tollit. Hinc Helmont *b* : quamdiu Antimonium vomitus mouet, non est boni viri remedium.

*Antimonium.*

b *De Febr. c.* 15. *§.* 6.

Cùm vero istud venenum, aut ignis flammâ, aut nitro accenso, ab antimonio euacuatur, (de quo dixi suo loco) tunc alcali antimonij rursus saturatur dictis acidi spiritibus; qui tamen cum

ſint ex nitro aut flammâ, non ſunt antimonio proprij, adeò vt dierum curſu, ex aere tandem ſuum ſimile extrahat *a*, ſicut de ſilice dixi, qui ex aere, non vitæ Canis, ſed ſui ſimile alimentum trahit, vt ſuo loco oſtendi: [illegible]ita, quod pridem ſudores & vrinam placidè mouebat, nunc ſicut ipſum antimonij vitrum vomitus excitat. Flamma itaque, vt & nitri aciditas, ſicut non ſunt venena, ita non ſunt propria, iam euacuato & inani antimonio: adeoque antimonium in alcali redactum & omni ſapore ſpoliatum, quod diaphoreticum vocant, ſi reperit in corpore humano aliquid venenoſi, illud attrahit, ſaturaturque âb eo: *gaudet enim natura ſua ſimili natura b*, illudque retinet, atque in illo lætatur magis, quàm ſi in corpore humano hinc inde erraret Nullibi igitur Antimonium iſtud vacuum & diaphoreticum prodeſt in morbis, niſi in eis qui aliquid acidi veneni, aut oc-

*a Euacuata vitrioli minera in Carinthia rurſus in libero aere paucis annis repleт. vt & Euacuata ſalis petræ minera Patauij: ideò anima mundi. Mercurij, ſeu multiformis ſpiritus à ſapientibus nominatur.*

*b Hac ratione laudatur à Baſilio Arſenici alcali, pro ſanitatis theſauro: quod tamen niſi docto tractare ſuadeo.*

culti aut manifesti, præ se ferunt vt pestis, causones, petechiales, ac aposthemata interna varia, quocunque loco extiterint, horum venenoso halitu, ab Antimonio absorpto tunc pori se sponte aperiunt, fitque diaphoreticum, aliàs nunquam. Hinc Basilius *a*, *puluis ille*, inquit, *insignes possidet vires, ad exterminandos veteratos multos & exulceratos morbos, &c.* Quorum nimirum aciditates sunt putrefactiuæ & escaroticæ, eas nempe hic puluis combibit atque absumit: & vt dixi, contractura pororum relaxatur. (Hanc actionem vulgus exsiccare vocat; cuius ratione, est etiam ingrediens, in emplastrum illud, quod barbaro nomine oppodeldoch appellat Paracelsus. Quid autem sit, & quomodo fiat hæc absumptio, imbibitio, præcipitatio, vel exsiccatio, infrà de ferri proprietatibus rursùs ad oculum ostendam) Et licet perlæ, corallia & quæ Cardiaca vocan-

a *In repetitione antiquißimi lapidis fol. 80.*

tur, acida quoque absumunt, quæ circa cor sunt exorta, hæc tamen non sunt putrefactiua, neque veneno occulto coniuncta. Aliud itaque est acidum, quod antimonium vacuum & alcalizatum combibit. Aliud quod perlæ, in cordis palpitatione. Aliud quod oculi cancri, in vulneratis & contusis. Aliud quod sanguis hirci in pleuriticis. Aliud quod ferrum in obstructis & laxis. Aliud quod vegetabilium alcalia volatilia, in hecticis. Aliud quod lapis Bezoar, in opulentorum animi deliquio (opulentorum dico, nisi enim eximio pretio lapidi, respondens sit proportio *a* ad acidum illud naturæ exosum, frustrà propinatur. Hinc Crato, se nullam opem ab eius frequenti exhibitione animaduertere potuisse; quod verum esse facilè mihi persuadeo, præsertim cùm à granis propinatur, vt libri suadent. Notarunt hunc defectum cum Cratone plures emunctiores vrbis practici, qui

*Calor vocatur à vulgo generali vocabulo.*

*a Eduardo Regi datum fuit drachmæ pondus. vide Manardum & conciliatorem.*

occidentalem præſcribunt, non quòd præſtantior ſit orientali, ſed quòd viliori ſit pretio, & ideo in maiori doſi exhibetur. Communis namque eſt opinio, dicuntque eum omnes ſudorem pellere; quod tamen non contingit, niſi priùs acidum morboſum planè abſumpſerit ( vt notauit Hercules Saxonia *a* maximæ famæ practicus ) : conſiderant enim hunc lapidem ( vt & quàm plurima ſimplicia ) agere in corpore, ſicut cuneus à malleo compulſus : non animaduertentes, quod extraneo ſapore per lapillum, aut ſimile abſumpto, pororum contractura relaxetur, & tunc totum corpus per ſe tranſpirare, vt docuit Hippocrates, probatque Senis doctrinam, muſca in oculo; cuius palpebræ contrahuntur illico magnâ violentiâ; non quod muſca contrahat, ſed ſenſus horret peregrinum irruens: quàm primum autem muſcâ exemptâ, palpebra rursùs cum mollitudine

*a Capite de febribus peſtiferis.*

relaxatur.) Aliud inquam acidũ, quod Paracelsi lilium in Hydrope. Aliud quod spirituale sal Tartari in melancholia Hypocondriaca, reliquisque omnibus in splenis affectibus. Aliud quod osteocolla, in ossium fracturis. Aliud quod corallia cum specifico suo alcali, in Gonorrhea absumunt & absorbent, &c. Stomachi tamen acidum proprium insitum & manifestum quod ostendi, cum quo cibum in acidum chilum vitalem coquit & mutat, dicta simplicia non combibunt, imò nec intrant quidem, quod admirandum. Hinc liquet quod quælibet aciditas vel aura (nomina vt lubet) expectat auscultatque lubens suum conueniens compar (sicut vitrioli euacuata terra, in Carinthia vt supra notaui) quocum alterari, absorberi, ac transmutari gaudet: neque alter alterius familiam perturbat, hinc homo Microcosmi nomen adeptus est: & Hermes *a*, quæ sunt in

*Macrocosmi rerum semina, esse acida per alcalia, suprà ostendi: sic in Microc. tam sano quam morboso, natura hunc consensum studiosissimè obseruare docet*

in ſuperis, hæc inferioribus inſunt. Hæc ſunt medicinæ fundamenta, *iuxta hominis naturam*, *vt primi inuentores eam inuenerunt*, *indicaruntque artem dignam, quæ DEO adſcriberetur, quemadmodum eſt receptum*, vt docet Senex *b*, *non enim*, inquit citato loco, *Siccum*, *neque humidum, neque calidum, neque frigidum*, &c. *Sed ſapores!* quos recenſet ibidem: hos cauitatibus ventriculis ineſſe oſtendit meus Hippocrates *c* inquiens: *Corpus humanum plures habere ventriculos* (vel ſapores) d *quos norunt illi*, *quibus hæc res curæ erit* (id ſonat: ſoli Philoſophi Chymici; nam paulo poſt ſubiungit) *ex prædictis itaque omnibus*, *nullum eſt*, *quod oculis conſpicienti videre ac cognoſcere contingit; quapropter etiam OBSCVRA*, *mihi appellata ſunt*, *non tamen quod obſcura permaneant, & nos vincant, ſed quantum poſſibile eſt, cognoſcantur & ſuperentur: poſſibile autem eſt*

*hæc quotidiana & vulgatiſsima praxis.*

a *In Tabula.*

b *De veterum medicina.*

c *li. de arte.*

d *Ecce hic: Attributa, circunſtantias & mutationes varias, propter quas, diuturniora quadam mora affectus aſsident. de quibus Senex in præceptionum libello.*

(Philosopho Hippocratico Chymico) *quantum ægrorum naturæ ad considerandum conferunt, & quantum eorum, qui perscrutati sunt, naturæ ad perscrutandum aptæ sunt. CVM MVLTO ENIM LABORE ET NON MODICO TEMPORE, PRÆ OCVLIS VIDENTVR ET COGNOSCVNTVR: Nam quæcunque oculorum conspectum effugiunt, ea MENTIS OCVLIS à nostris obtinentur & superantur.* Hactenus ille. Horum quàm plurimi, Hippocratis Autoritate, quantum Compendij brevitas permittit, luce clarius ad oculum demonstraui: non tamen eo fine, vt Hippocraticus quisquam, hanc doctrinam imprudenter coram idiotis exerceat atque ostentet. MAGISTRO id admodum grauiter prohibente, a inquiens: *Mihi quidem maxime videtur, qui de hac arte disserere instituit, quæ plebeis nota sunt dicere debere, cum de*

a De prisca medicina.

*nullo alio vel quærere vel dicere conueniat, quam de morbis, quibus ipsi tentantur.* Id ſonat : ſi alia memineris, quam excrementitios quatuor humores pro morborum cauſa, & hos ſuis miniſtris & ſatellitibus vinctos non educere promittis, (his nimirum gaudent) eris deſertor, Empiricus, Paracelſiſta, &c. Cùm igitur MAGISTER plebeos & ignaros timuerit, iuuat Hippocraticum, illud comici frequenter ruminare : quod ſcis neſcis.

*Loquendum vt plures, ſed ſentiendum vt pauci. Ariſt. 1. topic.*

Ex dictis nunc concludere licet, (ne longius vagemur quam par eſt) Alcalia omnia ſine acido, eſſe corpora inania & vacua, *a* fixum nimirum alcali, cum acido fixo ſaturatum, fit petra, vt in calce oſtendi.: cùm verò fuſionis ignem patitur, tunc tranſeunt in vitrum.

*a Alcali eſt vacuum in natura.*

Idem Alcali fixum, humidâ viâ cum occulto acido pingui ad maturitatem coctum mutatur in ſaponem.

Sic fixum alcali mixtum cum acido ſalis ſpiritu, fit ſal commune, omnes eius proprietates habens.

Sic etiam fixum alcali cum acido vitrioli, fit vitriolum, quod tartarum vitriolatum appellant: & quamuis ſcriptores affirmant, acidum ſulphuris, per campanam, non differre ab acido vitrioli, verum non eſt; ſed ſicut acida omnia retinent & conſeruant ſeminis proprietates ad elementa vſque, vt de vino oſtendi, ſic etiam hic acidus liquor: cum enim roſerit naturale corpus, ex. gr. arenam, ignem nondum expertam; tunc ex eo naturale ſulphur ſublimatur. *Nihil itaque in mundo mori, ſed omnia tranſire & immutari* recte ſtatuit Triſmegiſtus *a*. Et Lucret. canit *b* .... *quæque in ſua corpora rurſum diſſoluit natura, neque ad nihilum interimat res.*

*Nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat. Hipp. l. 1. de diæta.*

a in Pimandro.
b Lib. 2.

Alcali fixum, cum acido ſpiritu nitri vertitur in nitrum frigidum, flammam concipiens, &

eſt anginæ remedium.

Idem Alcali cum acido vini fit tartarus vini, vt ſuprà prolixe oſtendi.

Hoc modo (docet meus Hippocrates) procedit etiam natura, quæ alimenta alcali volatili repleta, cum acido ventriculi primò in chilum manifeſtè acidum conuertit, & in ſubſequentibus ventriculis coagulatur alcali, iuxta proprietatem acidi occulti, quod cauitates in ſe cuſtodiunt. Sic alcali fæcum alui, licet centies rectificatum turbatur ſponte, vt oſtendi ſuo loco: ab alcali vrinæ, odor eſt inſeparabilis: Alcali ſudoris hominis ſani, non fœtet. Sic alia eſt coagulatio calculi, vt in diſſolutione & concretione eius oſtendi. Aliud eſt acidum iſtud, quod in oſſibus alcali indurat, aliud in ſanguine, aliud in venis, aliud in capillis, aliud in vnguibus neceſſe eſt, & ratio dictitat, aliàs nimirum generaretur quidlibet ex quolibet. Sic etiam differt

*Fermenta loci, quæ mumialia appellant.*

*Hac viâ etiam paratur ſapo ſapientum.*

ſapo, factum cum oleo, ab illo, quod cum Axungia; & hoc ab eo, quod à ſeuo conficitur. *Omnes muſculi*, inquit Hippocrates, a *proprium ſuum ventriculum habent*: indicans quamlibet coagulationem ſpecificam, requirere etiam ſpecificum coagulatorem; qui quamvis occultus, profectò acidus tamen mechanicâ neceſſitate eſſe debet, vt in oleo, ſeuo, lacte &c. oſtendi: alias nihil vnquam in vniuerſo coagularetur: *neque ſane* (ſubiungit b Doctor meus) *quæ dicta ſunt, eorum quicquam oculis intuenti conſpicere licet*: id ſonat: niſi in Chymica, & ſalis fuſoria hac arte ſis exercitatus, ſcripta mea non intelliges.

a *lib. de arte.*

b *lib. de arte.*

*liber Naturæ legendus, chartacei tamen non reijciendi.*

Hippocrates itaque deprehendit ea, quæ naturæ & artis imperio, grato conſenſu ſubiecta ſunt, in hoc cardine immobilia doctrinæ fundamenta collocauit; ex his omnes mechanicos progreſſus, & cauſarum explicationes adeò firmas deduxit,

vt si omnes chartacei libri, cum eorum scriptoribus interirent, ex ingenti Naturæ libro omnes artes rursus hac methodo addiscerentur.

Vnde liquet, quot fabulæ viro optimo sint adscriptæ? quæ ne quidem per somnium illi in mentem venerunt; imò quàm plurima sub eius nomine non quadrant, cum profunda eius sapientia, adeò vt si iam reuiuisceret, non sine ratione ea legendo erubesceret.

Permixtionem & alterationem, quam in alcalibus fixis cum acidis demonstraui, eam etiam de alcalibus volatilibus omnium animalium intelligendum iubet meus Hippocrates. *a* Alcali enim volatile, cuiuscunque animalis, saturatum cum spiritu acido vitrioli, induit vitrioli naturam; verum cum non habeat colcotar ferri, præcipitatur à gallarum succo, in purpurei coloris fundum, albo vitriolo simillimum, de quo suprà.

a *Lib. 1. de diæta.*

Ex dictis nunc luce meridianâ clarius patet, ſpiritum eſſe vehiculum & domicilium animæ, atque vinculum coniungens animam cum corpore; quod in ſubſequentibus oſtendere lubet.

Idem nimirum Alcali volatile, cuiuſcunque animalis, cum ſpiritu nitri, fit naturale nitrum, flammam concipiens, in calore igneo liquatur, funditurque ſimile ordinario. Idem Alcali inquam cum Aceto, fit Tartarus, qui totus in liquorem diſtillatur ſalſum, vt in aqua Mindereri oſtendi, & ſic de reliquis ſuccis acidis intelligendum: nam ſicut alcalia fixa, ſunt vacua & inania corpora, ſic etiam volatilia omnium animalium; quorum præparationem docet quidem Reformator, qui cum alcalibus tamen omnibus admodùm vacuus eſt. Hinc motus Hippocrates meus, ſereno vultu, in dulcem riſum, inquiens a: *Neſciunt quid faciunt, ſed deſtinatum fatum explent.*

a *Lib.* 1. *de diæta.*

Alcali itaque viperinum, vacuum & inane corpus, ſaturatur à Reformatore etiam vacuo *a*, magno labore & ſumptu, acido ſalis ſpiritu; quid aliud quàm ſalis communis proles exinde generari poteſt? En fucus & impoſtura, quam Reformator *cum tanto labore* b *tandem inuenit*: de quo ante victoriam triumphans ſcribillat: *Nec velim tibi quiſquis es perſuadeas, alias eſſe viam fixandi.* Hoc dicto pauitans palinodiam recanit: inquiens (ſubmiſſâ voce) *ſi tamen quiſquis eſſet, qui maiorem in hiſce laboribus haberet experientiam, ipſi anſam præbeo, vt boni publici cauſâ, illa quæ in hac re expertus eſt, ſecum commori non patiatur.* Meum corculum! meus molliculus caſeus! quid ni? Eia age, obtemperemus fratres huius cupiditati: bene ædepol narrat; ah, quantum non meretur de republica medica! quod pharmacopœis *c* acidum & ſalſum tam politulè diſcreuit.

a *Pharm. fol.* 486.

b *Pharmac. fol.* 486.

c *in Appen. Animadu. fol.* 75.

*Puerilem sententiam declarat.*

## CAPVT XXII.

OBiter nunc percurram acida, quæ Reformator docet falsis contraria *a*; quam tamen doctrinam, cum reliquis pluribus falsissimam, & ignorantiæ plenam inuenio, vt per ignem (qui hic professor publicus & iustus iudex vocatur: dialectica hanc discretionem non habet, ea saltem scientias repertas & veras, in quovis scibilî methodicè, rectè, & clare, magnâ vtilitate proponere & tractare nouit) seruatis vocibus, vsu receptis, demonstrabitur. Salium autem sapores quantum visum fuit, pro intelligentia præsentis compendioli, suprà distinxi.

*a in Appēd. fol. 52.*

*Ignis tā internus quā externus, ordinarius Creatoris professor, Naturæ librum explicat.*

*Auri Calcinatio in via sicca.*

Ex nitro, & ſale communi ana vncijs quatuor, & aluminis vncijs duabus fiat puluis, cui ſuperadde aquam ſimplicem, quantum ſatis pro ſalium ſolutione, (quæ non agunt niſi ſoluta) & habebis liquorem ſalſum, cui adde auri foliati duas ſaltem drachmas, miſce aurum cum ſalibus, & coque in ollula vitreata ad ſiccitatem ſub finem auge ignem, donec odorem aquæ fortis inſtar ſpiret: ſic mixturæ ſalſedo erodit aurum. Albam maſſam in ollula diſſolue aquâ communi, ſolutum quieſcat vitreo vaſe, donec fæces ſalium ſubſideant, clarum per inclinationem effunde: huic claræ ſotioni guttatim inſtilla, alcali quoddam fixum reſolutum, ex. gr. liquorem Tartari, qui ſtatim abſorbet ſubtiliores acidos ſpiritus, & illico aurum cadit coloris purpurei. Hic in operatione, ſal non obfuit acidis ſpiritibus, vt docet Reformator; ſed alcali tartari abſorbens acida,

compoſitum deſtruxit.

*Auri calcinatio in via humida.* Eadem viâ, ſed marori impetu, diſtillata aqua ex nitro & alumine, in qua ſit ſolutum ſal commune, aurum diſſoluit; niſi enim ſal in aqua diſſolutum eſſet, aurum non corroderet. Non itaque deſtruit ſal acidam aquam fortem, neque in ſicca, neque in humida via; ſed ea vigorem addit, ſale ammoniaco ſimilem. Hinc Baſilius.

*Quod in Aquila manifeſtè reperitur,*
*Id mihi totum penitùſque inhæret.*

Hinc liquet, quod aurum non diſſoluitur niſi à ſalſis: quare autem acidus ſalis ſpiritus hoc ſoluit? dixi & oſtendi ſuo loco; quod nimirum ſpiritus rodendo, redit in id quod erat à natiuitate, id eſt in ſal.

*Obſcur*

### *Obscura clarescunt.*

## Capvt XXIII.

Aliud oculis periucundum experimentum obijciam, quo ostendam salsa acidis non esse contraria.

*Auri Tinctura.*

Ex vitrioli exsiccati libris tribus, nitri libris duabus, communis sulphuris floribus vncijs sex, & salis communis libris quinque semis, & laterum puluere, quantum satis, ne salia cum sulphure fundantur, sint huius pulueris libræ sex, misce exactè pulueres minutos, & distilla aquam ex arena saltem in hanc aquam, sine præmissa rectificatione, immitte nummos aureos, & intra paucas horas, in tepido loco, videbis aquam aureo colore tinctam, (occasione huius tincturæ, memoriæ subvenit, quod non sine herculeo

labore, ignis ope, magnâque diligentiâ ascendit alcali volatile (cuius alibi mentionem feci) grati odoris, adeò rarum leueque, vt vix à tangente digito sentiatur, aliquando grisei, aliquando niuei coloris, salini saporis, linguam ferientis & penetrantis; ita subtile, vt citra ignis irritamentum, in aperto vase, sponte in auras abripiatur, cum per se ipse in igne constans persistat; per huius alcali proprietatem inquam, fiunt Aurum, Argentum, Mercurius, Crystallus &c. verè potabilia, ita vt non solum in corpora redire sit impossibile: sed insuper sic à vinculis coagulationum liberantur, vt libere nobiscum colludere queant &c. Sed cum hæc & similia non sint huius loci, lubens ea nunc prætereo) quam effunde, & aliam superadde, & iterum distilla in loco calido, donec aqua satis sit tincta: Aquas tinctas confunde in aliam phiolam, atque in illam aquam pone

laminas argenti, priùs cuppellati; tunc aureo colore tincta aqua statim nigrescit, paucisque momentis totum argentum invisibiliter dissoluitur, caditque totum in calcem nigram, quam periti in arte, sine contradictione aurum dicunt. Notandum: quod aqua, ab auro non tincta, argentum non soluit, imò ne tangit quidem: hinc Basilius de Argento *a*.

a *De proprietatib. planetar.*

*Animam meam, spiritum meum corpusque meum,*
*Regi meo in totum consecraui.* &c.

Aureos nummos ablue, hos reperies aliquantulùm pallidiores, sed parum aut nihil de pondere amisisse: hoc experimentum est consideratione dignum. Cum verò supradictæ species, igne nudo & aperto distillaueris, addito plus de farina laterum; tunc sanè non extrahit tincturam, sed totum aurum planè dis-

ſoluit. Hoc inquam experimentum (licet inutile videatur, iucundum tamen eſt, & magni momenti) ſine ſale non ſuccedit, adeòque ſal acidis his ſpiritibus non nocuit.

*Antimonij ſulphur.*

Sic etiam aqua fortis ſimplex ex nitro & alumine, vel vitriolo, non rodit neque diſſoluit Antimonium crudum: ſed ſuperadde huic aquæ tantum ſalis fuſi, id eſt mundi & puri pulueri zati, quantum ſoluere poteſt, hanc aquam ſuperfunde antimonio, groſſo modo ſaltem contuſo, ſicut milij grana circiter, & illico leni calore agit in Antimonium, cuius regulum rodit; cui ſtatim aquam frigidam ſuperadde, & videbis ſulphur ſeparatum, quod aquæ inſtar picis ſupernatat. Nota autem, quod vnicâ vice non vltra duas circiter drachmas ſoluere tentes, aliàs in maiori quantitate, corroditur quoque ſulphur aqua, & in fæces abit.

*minera antimonij ex Rauris mõtibus, venis vel maculis rubris, hoc modo ſoluta, fundit aurum.*

Hoc ſulphur edulcora aquâ

frigidâ, & aſpectu ſimile erit communi, niſi quod parum viridescit. Et hæc ſeparatio ſine ſale non ſuccedit, adeoque non obfuit acidis.

Ex hoc ſulphure, additis duobus ſimplicibus oleum compones, quocum dorſi ſpinam, carpos manuum, plantaſque pedum, vnicâ horâ ante paroxyſmum ſi inunxeris, febres intermittentes tertianas omnes tolles.

*Oleum febrifugum.*

Hoc ſulphur eſt baſis artificioſæ vndæ, in qua ſi diſſoluitur argentum, præcipitat magnam eius partem in calcem nigram, quam aqua fortis deinceps non tangit.

Idem ſulphur, vt & antimonium crudum, rubris punctis notatum, cum portiuncula auripigmenti mixtum & puluerizatum, quocum, ſi cementatur Criſtallus, acquirit rubini colorem. Ventum caueas, aliàs fatiſcit in rimas, aut diffringitur.

*Criſtallus tingit rubinum.*

Hoc est sulphur illud antimonij, quod Helmont extrahere iubet *a*, & vix à vulgari discrepat visu, nisi quod patum in viriditatem vergat: Quantum hoc sulphur præstat in Hydrope, quam Tympanitidem dicunt, norunt ij, qui illud mecum in vsum vocarunt. Imò etiam, Rulandi Balsamum ex hoc sulphure elicitum fuisse, constanter affirmo. Pergit Helmont. Fac cinnabarim, inquit: Scio, quod plurimi anxiè, & magnâ inquietudine sese agitant cum hâc operatione; quam nunc claro sermone aperiam. Hoc antimonij sulphur, leni igne funde, in ferreo cochleare, fuso sulphure; cuius sit ex. gr. vncia semis; adde Mercurij drachmas sex, plùs minùs non refert, (sulphur enim tantum recipit, quantum mortificare potest) misce continuò spatulâ ferreâ, donec refrixerint; massam reduc in puluerem, (quem plurimi accendunt carbone ignito, vt superfluum sul-

*a Tract. de verbis herbis & lapidibus.*

*Timpanitidis remedium.*

*Balsamus sulphuris Rulandi.*

phur deflagret) hunc retortæ largo collo inde (largo collo dico) ne obturetur, à cinnabari aſcendente, & per gradus ex arena pelle; tunc quod ſuperfluum erit, aut de mercurio, aut de ſulphure, id per collum retortæ decurrit, quod colliges; tunc auge ignem, vt cupella candeat, & cinnabaris elevabitur. Frigefactis rebus, frange retortam, cinnabarim reduc in pulverem, quem ſepties adhuc ſublimabis per ſe, idoneo vitreo vaſe, vel retorta, habebiſque intentum. Eadem via fit etiam cinnabaris vulgaris, ſed ſine repetitione ſublimationis.

*Cinnabaris Antimonij.*

*Cinnabaris vulgaris.*

Studio. Helmont hîc ſubticuit, mercurium non vulgarem: ſed ex ipſo antimonij corpore deſumptum eſſe debere, *a* ad quid namque in aurem *filijs noſtris*, ſuperflua hæc induſtria? cum eadem cinnabaris ſublimetur poſt diſtillationem butiri antimonialis: niſi mercurius antimonij hic requireretur?

*a Vnicus debet eſſe rector.*

*Operando deteguntur errores inveſtigati prius, aliter non.*

*Quæ nocent, docent.*

## CAPVT XXIV.

HActenus his operationibus, quæ omnes acidis & salsis perficiuntur, nullibi apparuit alterius destructio, sed eamus ad Rapsodiam Reformatoris, quam superbo titulo *Mantissam Hermeticam* a vocat, vt eius proprijs scriptis erudiamini, vbi sese offert,

a *Quid Hermes de his nugis senserit Reformator ignorat.*

*Mercurij sublimati corrosiui vera præparatio.* b

b *Mantiss. fol. 101.*

Vinum vendibile (ait poëta) Hederâ non indiget; quare huic titulo addat, *vera præparatio*, non video! Suspicor ne Reformator, more consueto, hac vanâ promissione nobis dolosè imponat, eamus illi obuiam.

*Mercurius*, inquit, *rectè sublimatur, cum sale & vitriolo* (mirum quod non timeat, acidi vi-

trioli destructionem à sale ) sed quia sic ab alijs scriptum inuenit, saltem addit; *Vitriolum cautè calcinari debere, ne priuetur acido spiritu.* Sibi videtur hîc aliquid magni momenti admonere. Vt etiam: *quòd sublimatio Mercurij bis terue reiteretur nouis speciebus sale scilicet & vitriolo:* Sed ad quid, hæc repetita sublimatio cum nouis speciebus? Mercurius enim semel saturatus, acidis spiritibus, ad quid reiteratur labor? præcipuè si verum est, vt est verissimum in natura, quod *omnia reguntur certis numeris ponderibus & mensuris* iuxta illud poetæ.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
*Quos vltra citraque, nequit consistere rectum*

Sic etiam mercurij natura, acidis spiritibus semel saturata, absorpsit & combibit, quantum perfert, & quantum indiget à prima sublimatione: & licet cen-

ties deinde ſublimetur, aut per ſe, aut nouis ſpeciebus, ſemper manet idem ſublimatus mercurius: adeòque reiterare laborem, eſt tempus & ſpecies inutiliter perdere. Hoc eſt quod ait Sapiens in prouerbijs: a *Abominabile apud Deum pondus & pondus, menſura & menſura.*

a Cap. 20. verſ. 10.

Scio à multis expeti modum ſublimandi mercurium, propter metum, quod is qui venditur hinc inde, admiſtum habeat Arſenicum; quod tamen, vt periculoſa merx, mercurio in eius ſublimatione addi nequit, propter ſubtile venenum, quod ſublimando ſpirat, ac operatores ſuffocat: venenum eſſe ſubtile, oſtendam proprio periculo.

*Arſenicum.*

Olim cum Arſenicum (Iohannis Agricolæ ſuaſu) toties ſublimare tentarem, vt tandem fixum in fundo vaſis permanere deberet; (non enim tunc temporis, ob ſciendi deſiderium, neque fumos, neque vapores, aut quic-

quam periculi timui) poſt multas ſublimationes, cum vas aperuiſſem, inſpiraui auram palato tam ſuauem, dulcem ac gratam, quam cum admiratione nunquam antea ſimilem expertus fueram; ſed poſt ſemihorulam ſtomachum dolentem & contractum ſenſi, cum omnium membrorum convulſione, reſpiraui difficulter, ſanguinem minxi cum indicibili ardore; ſubitò poſt, colico dolore correptus, totuſque contractus euaſi, per ſeſquihoræ ſpatium: Lacte & oleo reſtitutus, mediocriter me habui: febris tamen lenta, hecticæ ſimilis, per integram hyemem permanſit, quam extinxi vulnerariarum herbarum decoctis, & eſu cimarum braſſicæ, aquâ bulliente tabefactarum, Auranciorum ſucco, oleo & modico ſale conditis. Imò natura ſic appetebat hunc cibum, vt vix horam cœnæ expectare poſſem, hiſque remedijs perfectè conualui.

*Geber de Argento c. 18. & Basilius de propriet. 7. metall. de Ioue.*

*Stannum dat argentum,*

Sed nullâ ratione habitâ periculi, sunt qui stannum purum in puluerem exurunt, quod nullâ vulgari arte in stannum reduci potest, sicut reliqua metalla; cum arsenico tamen fit scoria, cuius pars singulari artificio in purum argentum transit. Hanc separationis artem sciuit & exercuit Sigismundus VVan, Ciues VVondsiedlensis in Voitlandia, cum ingenti emolumento, ita vt Anno 1464. ibidem Hospitale splendidissimum ædificauerit instituеritque, vt narrat Gasparus Bruschius; quod & hodiè cum epitaphio dicti ciuis conspicitur.

*a 2. volum. theatri Chymici. fol. 39.*

Quod autem ex stanno cum arsenico fiat argentum, id confirmat Clauius in Apologia *a* contra Erastum, qui videatur. Et hæc de arsenico curiosis exposuisse sat est.

Nunc ad Mercurium, vndè digressus, redeo, qui sublimatur hac proportione.

Mercurij seu Argenti viui libras

bras 280. tantum pendet ſarcina vnica, ſicut in ouinis pellibus ex Hidria aduehuntur. Mercurij ſublimati lib. 20. ſalis communis, ſalis petræ an. lib. 200. capitis mortui reſeruati lib. 50. vitrioli rubificati lib. 400. omnia ſeparatim debent in puluerem reduci, ſub lapide molari, qui calcat.

Mixtio fit hoc modo.

*Mercurij ſublimatio vulgaris.*

Mercurius viuus & ſublimatus, portioque ſalis communis & ſalis petræ, priùs debent commiſceri, & quantumuis ſalia ſint arida facta, ab hac mixtura tamen madeſcunt: ſic Mercurius, miſcendo cum dictis ſpeciebus moritur; tunc adde reliquam partem ſalium, perge miſcere ligone ferreo, donec Mercurius nullibi viuus appareat. Hæc mixtura eſt humidiſſima, cui ſi addere velles vitriolum rubificatum, quod eſt valdè aridum, abſumit humidum in momento, & ſimul ſaxi duritiem induunt. Oportet itaque loco dicti vitrioli,

addere caput mortuum, aut reseruatum de prima sublimatione, aut de aqua forti, perinde est; sic modice siccatur mixtura, quam nunc debetis per cribrum agitare; Cribratum puluerem postea, commode miscere potes cum vitriolo rubificato. Iam habes mixturam, quacum impleto 16. vasa vitrea magna (quarta pars sit vacua) quæ locentur in capitellos, & sublimabis Mercurium ex cineribus (minimè verò aperto igne, vt nugatur Reformator) in quatuor furnellis, quorum quilibet contineat quatuor vasa; vasibus appone alembica, negligenter saltem, cum suis receptaculis. Ignis per 24. horas sit lentus, in illo tempore salia dissolvunt Mercurium, spiratque in illa actione odorem aquæ fortis, qui pulmoni nocet, imò inspirantem ferè suffocat, sicut Criptæ odor Puteolis, prope Neapolim, canem. Post 24. horas odor perijt, & tunc sublimari incipit Mercurius (aquam

fortem collige, quæ fortificatur alijs ſpeciebus, inſeruitque præcipitationi Mercurij ) cum illo calore perſeuera, donec Mercurium in forma placentæ, à ſuo capite mortuo ſeparatum in ſummo videas, quod fit plerumque quinto die ſi bene operatus fueris.

Frigefactis rebus, propter graue pondus ſublimati, ſponte crepant vaſa vitrea ( fragmenta ſeparatim collige, habent enim aliquid ſublimati, quod abrade, quocum alia vice Mercurius currens mortificari debet ) caue cinerem, ne per rimas decidat ſupra placentas, quas curioſè ambabus manibus prehendunt, ac ſeponunt; panes vocant, quorum quilibet pendebit circiter 25. libras plus minuſue, iuxta capacitatem vaſis, quod plus vel minus de mixtura capiebat, ita vt ex 280. pondo Mercurij viui & 20. ſublimati, colligas ſublimati ter centum, & octoginta. Creuit itaque in pondere Mercurius

viuus 80. libris, non quidem ex acido vitrioli rubificati, vt existimat Reformator, quod ob id *cautè calcinandum* docet: sed solo sale communi, quod sic probo.

*Error Reformatoris.*

*Mercurius sublimatus dulcis rubri coloris*

Sublimetur idem Mercurius, eadem proportione nitri & vitrioli rubificati, absque sale communi, tunc ascendit Mercurius rubeus, nihilque ponderis, neque corrosiui acquisiuit.

*Mercurius præcipitatus communis.*

Sic quoque si idem Mercurius præcipitatur aquâ forti ex nitro & vitriolo, tunc splendens rubescit, nihilque acquirit ponderis. Causa est quod nitrum sulphureum eleuat sulphur vitrioli, quæ coniunctim agunt saltem in suum simile, id est in sulphur externum Mercurij adeòque nihil potest crescere, neque corrosiuam vim induere.

*Mineruæ manum mouet.*

## Capvt XXV.

QVòd autem Mercurius vulgi habeat ſulphur externum & ſeparabile de Eſſentia Mercurij, vltra Gebri *a* & aliorum ſapientum teſtimonia, docet etiam Experientia, hîc & vbique certiſſima rerum magiſtra, hâc mechanicâ.

*a 2. part. lib 2. ſum. perfect.*

Immitte Mercurium mundum ac purum phiolæ plani fundi, oris anguſtiſſimi, & coque in arena, primò lento & moderato igne, poſtea fortiori; eo gradu, vt Mercurius aſcendere nitatur: quod ſi contingit ſimplici motu, fac vt recidat, hac via ſine vlla alia additione præter externum ignem, fit præcipitatus rubeus ſplendens ſimilis illi, qui cum aqua forti ex vitriolo & nitro præcipitatus fuit,

*Sulphur rubificat Mercurium.*

& nihil acquirit in pondere neque diminuitur, quatenus portiuncula proprij ſulphuris illum mortificauit & rubificauit, ſicut in aqua forti ex nitro (ſulphureo) oſtendi Sulphuris nimirum proprium eſt rubificare Mercurium, vt etiam in cinnabaris præparatione demonſtraui, qui etiam nihil in pondere acquirit, quod à noſtris attentè conſiderandum, plurimum enim intereſt.

Hunc præcipitatum rubrum vel per ſe factum, vel cuiuſcunque conditionis, commiſce cum ſale communi; compoſitum hoc, vrge moderato igne, & eleuatur in ſublimatum corroſiuum: neque hoc loco obfuit ſal acidis ſulphuribus, imò ſine ſale ex rubro præcipitato, nunquam fieret ſublimatus corroſiuus, vt neque Mercurius creſceret in pondere.

Sic præcipitatus ille, quem Crollius Turbith minerale appellat, quatenus fit cum ſpiritu

vitrioli vel ſulphuris non rubeſcit, quia parum de ſulphure, vitrioli, abſque nitro eleuatur in diſtillatione, ſed propter ſymbolum, quod habet, agendo in ſulphur Mercurij flaueſcit, nihilque ponderis acquiſiuit, poſtquam aluminoſus ſapor aquâ calidâ ablutus fuerit.

Vires omnium dictorum præcipitatorum ſunt æquales, vomitus mouent, gingiuas corrumpunt, & repetitis vicibus aſſumpti execrandum ptyaliſmum promouent: hinc Helmont *a*, *quamdiu Mercurius vulgi reuiuificari poteſt, non eſt boni viri remedium* : Nam ſicut omnia pharmaca ſunt venena, reſpectu noſtri, & non excremenrorum, noſque potius quam morbos adoriantur; ſic & præcipitatus vulgaris Mercurij. Hinc etiam Hippocrates meus, *b* nemo medentum per aſſumpta laxatiua ſpondere audet ſanationem.

a *de febribus cap.* 1. §. 6.

b *de medicamentis purgant.*

Et quamuis multi ffirment, quod *Mercurius, ſine additione*

*corrosiui, sed per se præcipitatus, sudores valdè moueat, & ea de causa febres omnes planè, tam continuas, quam intermittentes tollat; sexiesque vel septies exhibitus, luem veneream penitus eradicet*; verum non est; sed vt dixi propter suum sulphur, vtcunque diligenter viâ communi sit tractatus, semper idem est Mercurius.

Et licet sulphur, magno ingenio & arte, ab eo sequestratum fuerit; vt vacui impatiens; rursùs paruo temporis spatio, nouo & simili reinduit se: docente id magistro *a*: *seorsim, neque sibi neque vlli alij sufficiens est*; imò, præter experientiam, confirmat id Geber, reliquorumque sapientum turba: hinc admodum eleganter Aurei sœculi Author *b*, *Saturnus auus illius, illum ex mera ira, in id quod fuerat, iterum commutat*: Et proinde πολοποικίλες hic spiritus, Mercurij nomen adeptus est. Hæc ita se habere norunt

a li. de diæta.

b fol. 90.

illi, *qui has transierunt ærumnas.*

*Metallum perfectum esse argentũ viuum, non ignoro.*

Cum vero de argento aut alio perfecto metallo sit regeneratus ac resuscitatus vt & quod necesse sit mundificatus *a* & requisito suo præcipitatus ad rubedinem, fit medicamentum non contemnendum, quod neque purgat, neque vomitus mouet, nisi indiscreta dosi. Aurora tamen Philosophorum non est, licet irides tanquam pauonis cauda, & varij & admirabiles colores, in vitri pariete, & in ipsa materia appareant, eodem fere modo, vt chalibi sulphureo contingit, sub artificis manu ad lubitum. Neque credat quisquam hunc præcipitatum esse Panaceam illam, quam vidit Crollius apud Michaelem Sendiuogium (cuius nomen expressit in præfatione *b*, litteris hinc inde maiusculis, sub his verbis *apud Magnum aliquem cui in æternum bene SIt, Cumprimis egregium HeliocAntharum borEaLem, nunc in Chri-*

*a quarum non noxia corpora tardant? habet Virgilius.*

*simile non est idem.*

*b partis sextæ fere medio.*

*Hoc artis est.*

*sto quiescentem cuiuSmodi lENtis DenIque consueVerunt latitare tempOrum curricVlis )* quia non est per materiam primam vniuersalem, reductus in materiam primam: quæ autem sit materia Philosophorum prima præter Hippocr. indigitat nobis Ouidius *a*: *Tempus edax rerum*, id est, materia prima consumit in tempore, quicquid ex ea productum fuit; hinc Antiqui Saturnum deuorare proprios filios dixerunt, vt testatur venerabilis Pythagoras: omne secretum, inquit, est in Saturno: Id est, in antiquissima & prima materia, de qua nunc satis.

*a Metamor. libr. 15.*

*Mercurij sulphur, venenum.*

Sulphur itaque externum in Mercurio, est causa vomitus & saliuationis, non autem spiritus corrosiui, quibuscum præcipitatur aut sublimatur; id probat inunctio cum ipso Mercurio viuo, qui gustui non percipitur, sed Mercurij sulphur acidissimum, quod ostendi, primò cutem penetrat, acidorum more,

deindè perreptat *ad ventriculos ſeu cauitates muſculorum in ſanis ſpiritu turgidos* ab Hippocrate ſic vocatos *b* ; tunc ſecundo ſtatim, vel tertio die, langueſcere incipiunt vncti vel ſani, vel ægri ( nunc nimirum Mercurio perinde eſt ) perſeuerans tortor in vngendo, donec tandem omnibus in ventriculis, acidum occultum, & alcali, vel facultates vt loquitur meus Hippocrates, quas ibidem oſtendi, operantes deſtruit, diſtemperat & alienat. Acidum illud venenoſum ſulphuris Mercurij, abſorbet ventriculorum alcali, & eius ſocium; aliàs occultum, acerrimo veneno acidiorem, & manifeſtum reddit: ſic vna facultas eſt extincta, & acidum veneno multiplicatum, pergit operando, retrogrado modo agit, ac reſoluit cauſticorum more omne alimentum, in putidum liquamen; illud idem virtus vitalis, vel ipſa natura ( voca vt lubet ) expellere tentans, per loca commoda

b *li. de arte.*

*Catholica Hippocratica philoſophia vndique ſimilis.*

r

& apta, hinc illud partim per ſudores diſſipat, partim purgatoriâ vi per aluum deturbat, magnis torminibus. Vnde liquet, quare multi per ſaliuationem ſanati, poſt longum temporis interuallum in priſtinum morbum relabantur, malignâ ſcilicet diſpoſitione in corpore relictâ

*Hunc nodũ nobis Hippoc. ſoluit.*

Dentes autem, & gingiuas, tunc occulta, at venenoſa Mercurij aciditas, primario lædit; nam vt omne ſulphur habet occultum acidum, quod ſupra per campanam oſtendi: ſic Mercurius habet occultum venenoſum, quod illum leni, at continuato igne, præcipitat rubificatque (ſicut ſulphur vulgare), quod non non ſolum igne, experientiâ ſupra demonſtraui, ſed etiam Gebri authoritate.

*Mercurij ſulphur acidum.*

Acida autem omnia, præſertim putrefactiua, offendunt dentes & gingiuas (ſcorbuto teſte), diſſoluuntque neruos, tunc ſanguis ibidem aceſcit, ac putreſcit, omni fætore olentius, tantoque

toque contagio, vt & labia, eius contactu, vlcus contrahant, & intus buccæ vlcerentur: idque non solum ab eius externa vnctione contingit, sed etiam Mercurius viuus in pauca quantitate repetitis vicibus per os assumptus, idem præstat, vt testatur experientia, notaruntque Rondeletius, atque Platerus. Huius censûs sunt Pilulæ ex Mercurio viuo Barbarossæ dictæ. Hic quadrat versus ille antiquus Mathesij. *a*

*a In Sarepta.*

*Terram mercurij, producta metalla veneno*
*Esse ferunt, verum est, nil nisi virus habet.*

Hinc patet quid sentiendum sit de hoc sulphure, quod hac tempestate, per quorundam Satraparum ora (nolite timere dentes; quia nec vanam nec vacuam quidem eius vmbram cognoscunt) huius Regiæ, sub credula firmaque pollicitatione illustris, suauis atque vitalis auræ, tristem, dirum, trucu-

lentum, fætidumque halitum spirat. Inde Hippocr. meus *a* Imperitia malus thesaurus &c. altâ voce exclamat.

*a de lege.*

Hic ratio reddi posset quare inauratores, & qui Mercurij fumum inspirant, plerumque temporum progressu aut tremunt, aut artubus contrahuntur, sed ne prolixior sim quam par est, ea hoc loco prætereo.

*Mercurius regeneratus morbi gallici Alexipharmacum*

Mercurius proinde ex Argengento aut alijs perfectis metallis regeneratus, licet per integrum annum, diuerso igne in suprà nominata plani fundi phiola coctus, nullo tamen gradu per se præcipitari posse notaui: adeoque regeneratus hic Mercurius, sulphure illo externo carere debeat, mechanicâ necessitate liquet, cuius sulphuris absentia sudores mouere, ac blandè actiones suas perficere oportet, ratione sic dictante, & experientiâ confirmante. Magno autem ingenio in partes suas essentiales divisus, & reconiunctus nouo &

perfecto sulphure, tunc *fit subiectum omnis mirabilitatis*, vt ait H. C. Agrippa in scala vnitatis [a]; sed quia de eo nunc pluribus agere instituti mei non est, nisi quatenus medicinæ inseruire debet, intra limites me continebo. [b]

Patet ergo, quòd neque vitriolum, neque sulphur cuiuscumque sit generis, vel vim corrosiuam, vel pondus Mercurio addat, vt nobis imponit Reformator: docendo, *ob id vitriolum cautè esse calcinandum, ne spiritus pereant.* His enim Mercurius in sublimatione non indiget, sed saltem humido eius sulphure, quod eleuatur, vt dixi, à spiritu nitri, amboque iuncti agunt saltem in Mercurij sulphur externum. Quod si vrgetur fortiori igne, assurgit in puluerem rubrum non corrosiuum, quem Huserus & Crollius, Paracelsi Arcanum corallinum crediderunt: hi autem eius mentem non intellexerunt, errarunt in opinione; cum

a *lib. 2. de occulta philosophia.*

b *Eia, ignoscat quæso Harpocrates, quod digito de la bello remoto, amoris erga proximũ stimulo agitatus, silentũ ferè transilierim fines.*

verò vitriolo & nitro additur ſal cõmune, tunc Mercurius diſſoluitur profundius, ratione ſalſi ſaporis & ſublimatum albeſcit, fit corroſiuum, creſcitque in pondere. Nonne & hic acquirit acidum, ſuam vim per ſalſum ? tantum itaque abeſt, vt illud deſtruat.

Sic quoque ex vitriolo, alumine, & ſale petræ diſtillata cauſtica aqua, quam aquam fortem dicunt, agit ſaltem circa ſulphur, & niſi acidi ſulphurei ſpiritus pro parte abluantur, vel per ignem in fugam vertantur, coagulantur cum mercurio in aluminoſum adſtringens corroſiuum.

Hunc mercurium corroſiuum iubet Reformator miſcere Emplaſtro de Ranis cum mercurio Vigonis *a*, *Abſurdum inuentum eſſe* ſcribit, mercurium ſaliuâ mortificari: quaſi Ioan. de Vigo ignoraſſet corrodere mercurium, qui vulgaris præcipitati inuentor fuit; ea de cauſa & nunc

*a Pharm. fol. 681. Emplaſtrum de Ranis cum mercurio.*

vocatur, præcipitatus Vigonis. Hinc, inquam, compoſuit Emplaſtrum, ad mitigandos dolores artuum, à virulenta lue obortos, ſibi perſuaſum habebat, mercurium eſſe huius mali verum Alexipharmacum: Commiſcuit autem mercurium viuum cum rebus dolorem mitigantibus, quandoque bono ſucceſſu: iuſſit itaque mercurium mortificare ſaliuâ; & oleo laurino, quod fit in momento quaſi, & poſtea reliquis ingredientibus commiſcere.

*Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat.*

Hanc Vigonis mortificationem cachinno excipit Reformator, euertitque textum & ſententiam viri optimi, imò ſuperaddit conuitia atque calumnias, locoque mercurij viui addere docet, corroſiuum ſine ablutione vlla, vel ignis intentione pro ſpirituum fuga; ſed dum adhuc eſt liquor, iubet axungiam & oleum ſuperaddi, quaſi corroſiuum acidum in pinguedine moreretur. Ex hoc apparet, Auguſtanæ Pharmacopoeæ Reformatorem,

ne quidem vllam habere diſtinguendi ſcintillam. Chirurgi pro carne peregrina abſumenda, commiſcent mercurium præcipitatum Vigonis, qui guſtu ferè dulcis, pinguedinibus & vnguentis, non vt corroſiua vis deleatur, ſed vt non decidat.

Si itaque Vigonis præcipitatus, dulcis & inſipidus guſtui, vnguento commixtus, abſumit carnem; certè hic Reformatoris cauſticus & rodens exulcerat, & loco, quo dolores lenire debeat, nouos generabit. Hoc eſt artificium quod nos docet Reformator: de quo optime dici poteſt illud Plauti,

*Ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo.*

Reuiuiſcit autem mercurius ſublimatus, cùm corroſiua vis ab eo tollitur; id præter alcalia, facit etiam antimonium. Hoc non diſſoluit aqua fortis ſimplex, propter admiſtum ſulphur, vt ſuprà oſtendi, ſed addito ſale,

ſtatim agit in illud, ſeparatque eius ſulphur, vt ſupernatet picis inſtar, & hæc in via humida.

*Butyrum Antimonij.*

Sic etiam in via ſicca, commiſce antimonium cum mercurio ſublimato, quem ſalſum demonſtraui, & illico ſpiritus ſalini deſerunt mercurium, & rodunt antimonij regulum; cum verò ſpiritus ex retorta propelluntur, decurrunt ſaturati cum regulo ſoluto in butyri forma: quod ſi aquâ frigidâ abluitur cadit antimonij puluis rarus, leuis, & candidiſſimus, ineptè Mercurius vitæ appellatus. Cum vero hæc ablutio fit aquâ calidâ, tunc parum flaueſcit, & vocatur pulvis Algerotti.

*Mercurius vitæ.*

*Puluis Algerotti.*

Idem autem butyrum, ſi diſſoluitur in ſpiritu nitri, qui rurſus, propter ſimilitudinem ſulphuris, antimonium etiam ſulphureum & ſolutum rodit, & per cohobia abſtrahitur, poſteaque ignitur, tunc (modo ſuo) conſtans permanet, & vocari cœpit Bezoar minerale, magnorum

*Bezoar minerale.*

ſane morborum medela. Mercurius autem à corroſiuo liberatus, repræſentans alcali metallicum, ſaturatur ab acido quoque metallico ſulphuris antimonij, & conſtituunt ambo occultum ſalſum, quod ab ignis intentione eleuatur in cinnabarim. Qui rurſus cum alcali leuiori, in currentem viuum Mercurium reducibilis eſt, vt ſuo loco oſtendi.

*Cinnabaris Antimonij.*

Aurum itaque non ſoluitur ſine ſale in acidis; vt neque antimonium; imo neque ipſe Mercurius. Ergo, ſal non deſtruit acida, vt nec vice verſâ. Myſterium operoſa Minerua aperuit, quod hactenus paucis permiſſum fuit.

*Ecce Rhodus, ecce Saltus.*

Tandem ſal, ſi cum acidis inimicitiam, aut occultam aut apertam haberet, id ſane fieret manifeſtum in ſolo butyro antimoniali, tanto ſenſibili, vt ſi vnica ſaltem aquæ guttula incidit in illud, ſtatim acidi ſpiritus ſeſe aquæ aſſociant, & ſolutum antimonium albicat. In dictum an-

tem butyrum inijce ſal commune, vel artificiale, vel alia ſalſa, & in quantitate, nihil ſane movebitur, neque turbabitur quidem; tantum abeſt vt illud deſtrueretur.

## *Dicta cum factis componit.*

### CAPVT XXVI.

ACidum autem quodcunque ſi deſtruitur, id fit non à ſalſis, vt dixi, ſed ab Alcalizatis, aut eorum naturam redolentibus, mutaturque in aliam indolem iuxta acidi differentiam. Vt per exemplum, Reformator docet crocum martis, quem aperitiuum vocat, cum acidis præparare, quem probo. Docet & alium crocum in ſola flamma, quem adſtringentem appellitat; ignorans, quod & ignis flamma ſit acida, vnde & hic crocus ſimilis erit priori; hunc

*In aqua oſtendi alcali, nunc in igne acidum, licet rudi exemplo, noſtris tamen ſufficit.*

voca vel adstringentem, vel aperientem, iuxta effectum, quem post se relinquit. Aciditatem communicat flammæ: omnia inflammabilia sunt, vt ligna, frutices, herbæ &c. Hanc inflammabilem aciditatem diuenditat ipse Reformator *a*, pro spiritu salis armoniaci acido, & hoc loco illum plane ignorat.

*a In Appendice fol. 73.*

Multis videbitur me hoc loco paradoxa proferre, quòd ignis flammam, acidam dico. Imò repeto, ignem accedere proximè ad salis naturam, constantem ex alcali & acido *b*, ea propter est mordicans, acris, acetosus, incidens subtilis, penetrans, purus, incorruptibilis, incombustibilis, & est illud quod à corruptione præseruat: Et sicut in sale acidam partem separaui; eam nunc etiam in flamma separabilem esse, hac mechanicâ ostendam.

*b Natura in omni re similis.*

*Ignis & salis proprietates.*

*Plumbum fit minium.*

Plumbum exuritur aridis lignis in minium; sint autem plumbi libræ centum, postquam illud in minium conuersum, reperiuntur

centum & decem: quæritur, vndè minium acquisiuit decem libras? profectò nihil ei superadditum fuit, nisi sola flamma; hæc itaque assumpsit corpus in plumbo: hoc autem corpus, quod plumbum auxit ex flamma, est acidi saporis [a], idque probat sequens mechanica.

Distilla ex retorta vitrea aperto igne, de illo ipso ligno quocum plumbum exusseris, & extillabit liquor acidi saporis, qui extra retortam in flammæ forma, plumbum lambit, eique commiscetur, fixaturque in alcali.

Refunde minium in plumbum, & habebis centum libras, vt priùs, adeoque decem libræ non erant, nec minium, nec plumbum, sed acidum ligno expulsum. Hoc autem cùm non sit plumbi natura, cum eo non colliquatur, & quia *sibi soli sufficiens non est*, vt ait Hippocrates, fugit in plumbi reductione in elementa, vt de sale Tartari, oleo, aceto, & reliquis suprà ostendi.

[a] *Alcali volatile ex fuligine distillatur, cuilibet notum est.*

*Plumbum fit litargyrium.* Hoc alcali artificiatum ex plumbo, in minium conuerſum cum igne & acido vegetabili, vel idem plumbum, cum acido minerali in litargyrium euadit, ſi cum oleo, vel pinguedine coxeris, tunc alcali agit in occultum acidum pinguedinis, alcalium more, & acidum viciſſim in alcali, & coagulantur in neutrum.

*Emplaſtra ex plumbo antiquiſſima, chimicâ arte parata.* Sic fit emplaſtrum Triapharmacum, vt & de ceruſſa, reliquaque huius cenſus, vt in ſapone oſtendi: cuius inſpiſſationis cauſa Reformatori hactenus ignota fuit, vt teſtatur in epiſtola ad me; *quod* nimirum, *oleum tartari cum alcali picis inſtar inſpiſſabatur* (vt cap. 21.) & Pharmacopœis ſcribit, hæc ſecundum artem coqui.

Inter metalla autem nihil reperitur quod cum acido conſtanti, promptius in amicitiam coit, quàm plumbum; iuxta acidi enim ſpeciem, mutat formam, vt de de Alcalibus dixi. Aceti vapor, illud in candidam vertit ceruſſam: *Plumbum dat colores & vitrum.*

Acidum

Acidum in flamma, in rubrum minium, cum Acido ſulphuris, addito igne, vertitur in nigrum: cum acidis mineralibus, impuris, & mixtis in litargyrium duplex vertitur: cum acido argillæ flauæ, in vitrum buxei coloris: cum acido argillæ nigræ, in fuſcum colorem vitreum vſtulatur: (adi vitrarios) ea de cauſa, qui metallorum fuſioni & purificationi flagrant, illud honorant, quod omnis generis acida abſorbet, & metallum ab omni macula purum relinquat.

Veteres notarunt, ex acido, inchoati in viuentibus omnes inflammationes (atteſtante id Hippocrate *a*: *in homine*, inquit, *ineſt acidum, acerbum, acidiſſimum, aliaque ſexcenta, quæ pro copia & viribus varias habent facultates.*) Excogitarunt propterea ex plumbo varia vnguenta & Emplaſtra, quo acidum illud abſumerent; & quo ſæpiùs dicta vnguenta mutantur, tanto celeriùs acidum con-

*a de priſca medicina.*

*Plumbum quomodo refrigerat?*

ſumunt, malumque tollunt: hanc acidi aſſumptionem, pro vulgi captu, refrigerare vocamus, quatenus caloris cauſam mortificat.

## *Acidum in flamma probare pergit.*

### CAPVT XXVII.

*Corallorum Tinctura.*

APerto igne reuerbera corallos integros, ex. gr. vncias duodecim per ſex dies & noctes, (perito inſeruit ignis pro diſtillatione ſpiritus vitrioli) & reperies vncias 15. id eſt, tribus vncijs auctos, & in puluerem conuerſos ſubtiliſſimum. Hoc augmentum nihil aliud eſt, niſi acidum ex flamma, quod corallia diſſoluit, & cum ipſis coagulatur & fixatur, acidorum more in ſalſum. Huic ſalſo cùm affuderis acetum diſtillatum, non emittit bullas, vt alias contin-

git; in corallis non reuerberatis acido nimirum sunt saturati, hosque dissoluit in pellucidum, semiacidum liquorem, qui licet pellucidus sit, & sine colore, latentem tamen habet sanguineam rubedinem, quam spiritus vitrioli affusio, in momento manifestam reddit. Hanc rubedinem non introduxit, neque acetum, vt neque spiritus vitrioli; alias semper rubesceret mixtura, quando magisterium ex corallis vulgari modo præparatur. Oportet ergo mechanicâ necessitate hanc rubedinem in corallis clam latitasse, & ignis auxilio ad maturitatem vsque productam fuisse; de quo nunc plura dicere lubens supersedeo: satis est quòd ostenderim contra Reformatoris somniatam doctrinam, acidum non destruxisse hoc salsum, & corallorum tincturam in igne constantem permansisse, quam porrò ingenio separabis, & se ipsa laudabit.

*Tinctura hæc, est Rector vel Archeus, qui cum corallorum vita pari passu ambulat, magnarum virium, mori nesciens, neque in igne, vt in v no ostendi.*

Sic, Antimonij regulum in

*Antimonium fixatur a-*

*cido, ex igne.*

flores eleuatum, Ex. gr. vncias 12. mitte, in aream vitrariorum fornacis, in idoneo terreo vase largo, benè cooperto, ne incidant volitantes cineres, & remotè ab oculo, vbi flamma fluctuat, ne scilicet liquetur; sic stet per 8. dies, post vasculum appropera oculo viciniùs, quinto quoquo die, parum vsque ad quinquagesimum circiter, tunc reperies flores reguli, in puluerem rarum, leuem, & candidissimum fixatos, & duabus vncijs auctos, ex acido ab igne haustum, quod terreum vas, sine læsione, spirituum more penetrauit. Hic regulus pridem leni igne fundebatur, nunc (antimoniali) fusioni resistit, nisi flantibus follibus vrgeatur, tunc spiritus acidi ex igne ad elementa redeunt; & reguli inuenies vncias 12. vt etiam de plumbo ostendi.

Similiter pertracta antimonium crudum, & dimittet volatiles acidos spiritus, aliosque

fixiores ab igne induit, vertiturque in candidum puluerem, antimonio diaphoretico ſimilem, in medicina quidem maioris facultatis, quàm illud quod cum nitro comburitur. Ratio eſt, quod hic, non tantum ſulphuris cum nitro deflagrat, ſed fixatur à proprio regulo, hic vero ab igne: Quod hæc mechanica docet. Coque antimonium, quod cum tribus nitri partibus commiſtum, ac per vices accenſum & calcinatum ſit, in aqua ſimplici: in illa ebullitione, nitrum à ſulphure (antimonij in alcali combuſtum) diſſoluit ſulphur antimonij iam fixum, (quemadmodum alcali tartari bulliens, ſoluit ſulphur commune pro lacte, *a* vt habet Crollius) huic ſolutioni, calidè filtrato, inſperge acetum (& ſenties ſulphuris odorem) quod ſtatim ab alcali combibitur, & ſulphur cadit, in album, rarum, leuem & ſpongioſum pulviſculum, hunc ablue. Cuius drachma cum aceto in peſte

*a lac ex ſulphure antimonij magnarum virium eſt.*

a Antimonium fixum antipestilentiale.

a exhibitus, maioris est valoris quàm vncia non cocti & soluti: hinc liquet, quòd sulphur antimonij, quod alias cum nitro deflagrat, fixatur à proprio regulo, hic autem ab igne, in vasculo suprà nominato adeoque perfectior erit.

Crocus Martis.

In ignis flamma itaque est aciditas, quam sicut plumbum, corallia & antimonium combibere ostendi, sic etiam ipsum ferrum; quod cum hoc & reliquis acidis omnibus, cum igne in rubiginem vertitur; adeoque nulla est differentia, inter crocum martis qui fit, vel cum manifestè vel occultè acidis, vel ambo sunt constrictiui, vel aperitiui.

*****************

## *Præcipitationis modos & necessitates indicat.*

### Capvt XXVIII.

FErri proprietates & actiones, quas & quomodo eas perficit in humano corpore, multæ ſunt & variæ opiniones apud ſcriptores, quorum Catalogum recenſet Sennertus: *a* pauci verò rem tetigerunt, propter Hippocraticæ doctrinæ inſcitiam: dicam autem quomodo adſtringat, vel quomodo laxet.

*a lib. 3. p. 2. ſec. 2. cap. 7.*

Ferrum adſtringit manifeſtè, ideoquè ſtomachum & vicinia quæque roborat: Conuenit itaque in Dyſenteria, lienteria, diarrhæa, omnibuſque morbis laxis & diſſolutis &c. Quibus reclamare audio: quòd ferrea medicamenta mulierum menſes promouent, reſtaurantque iecoris & lienis defectus, adeoque

hinc potius laxare, quam adſtringere. Reſpondeo, non vt medicus ille canonicus, qui *lapides cancrorum minerale, & ob id naturæ inimicum* proclamat; Sed ex naturæ operibus, quibus demonſtraui ex Hippocrate a hæc *ex diuina neceſſitate ſic euenire debere*: in nobis nimirum non rarò oberrare ſal quoddam reſolutum, cuius generationem ſuprà ſuo loco oſtendi, ex acido & alcali, inuicem minus concordante compoſitum, atque diaphæreſi & tranſpirationi ineptum; illud propter ſaporum inæqualitatem, medicamentis purgantibus non auſcultat, vt docet experientia: voca hoc vt voles, humorem plane excrementitium, vel in prima, vel in vltima corporis regione exiſtentem; cuius ſiue vterus, hepar, lien, renes, pancreas, meſenterium, vel ſtomachus ſit generator, idem nunc eſt. Sumpto itaque ferro, quod vt mechanice oſtendi facillime acida omnia

a *Lib.* 1. *de diæta.*

combibit, illico sal istud nociuum liquidum, vel humor excrementitius, ad ferrum præceps ruit, eique adhæret, vt illud dissoluat, adeoque excrementum istud salinum, iuxta saporis speciem, dum ferro adhæret, illudq; rodit, coagulatur (sicut vidimus cum acido vitrioli verti in vitriolum, cumque acido vini in rubiginem *a*. Sic quoque in cupro euenit, istud si acetum rodit, fit ærugo; Si idem cuprum rodit spiritus vitrioli, fit vitriolum veneris: hic quoque quadrat, quæ suprà de alcalibus & acidis ocularitet demonstraui) cum autem in alimentum non potest assumi, ideoq; cum ferro soluto *b* sub nigro colore foras eijcitur; qui color oritur, cum acidus sal, ferrum rodit, ac alcali, illud in colcotar præcipitat, vt suo loco suprà ostendi.

Cum vero ferrum in acido, stomacho tamen grato, liquore dissolutum *c* potatur: absumptis, & penitus admissis ijsdem liquo-

a *Firque tinctura martis Reformatoris in appendice, fol. 83.*

b *Diaphragma non ascendit.*

c *Vt in acidulis patet.*

ribus, ferrum mox, vt dixi alimoniæ ineptum, ab acido separatur (alcali virtute) à commisto: in qua segregatione, confluunt dicti sales vel humores ad ferrum, & illi adhærent: sicut vidimus argento euenire, in aqua forti soluto; in hanc solutionem, si cupri lamellæ inijciuntur, tum statim aciditas aquæ fortis deserit argentum, & rodit cuprum, argentumque cupro adhæret, vt putris compactus. Rursus in illud solutum iam à cupro viridescens, mitte lamellam ferri, & aqua confestim cuprum deponit, & rodit ferrum, cuprumq; ferro adhæret (dum aqua vitriolata Goslariæ rodit ferrum, tunc cadit cuprum ex aqua in ferri locum, quod vitriolum continebat immaturum; hic puluis rubeus, igne fusus in cuprum euadit; hanc præcipitationem multi docti viri (non tamen in Hippocratiea doctrina) transmutationem ferri in cuprum crediderunt.) Ità in humano cor-

*Non loquor illi, qui in vita nil, nisi olidum stercus inspexit.*

pore contingere, mechanica ratio, & neceſſitas dictitat, præſertim cum natura in omni re ſimilis exiſtat: vt loquitur ſenex. Niſi enim excrementitius humor, cuiuſdam ſemi-acidæ naturæ, & ſaporis eſſet, ferrum in corpore non diſſolueretur in viride vel nigrum liquamen, vt quotidiè oculis intuemur, vtque etiam ſuo loco oſtendi: Et niſi excrementa ità tingantur, iam ferrum inconſideratè propinatur; non enim reperit humorem idoneum, qui illud ſoluat, tunc ſanè ferrum adſtringit, licet Reformatoris crocus martis aperiens aſſumptus per os fuiſſet. Idem intelligendum eſt de acidis ſpiritibus, vt vitrioli, ſulphuris, vitri, & ſalis; hi namque niſi reperiant alcali errans in corpore humano, à vitalitate proſcriptum, & ob id morboſum, quod acidos ſpiritus in ſe recipiat; tum plùs nocent quàm proſunt: tunc enim nimietatis causâ, proximum ſtomachi alimentum ſuâ

*Acidorum vſus & abuſus.*

aciditate inficiunt, & alendo ineptum reddunt. Medicus amicus Romæ Anno C. 1656. pestis tempore, præseruandi gratiâ vsus fuit spiritu sulphuris, in copia; hic arthriticus *a* euasit, qui postmodum alcali animalium restitutus fuit, vt de podagra alibi ostendi. Alcali enim combibit acidum errans in corpus dispersum, quod ventriculis manifestè acida non assuetis, dolorem & morbum excitabat: docente id Hippocrate a *acidos cibos, si quis citra delectum, ac inconsideratè exhibeat, nihil commodi perficient.*

*a Arthritis remediũ in alcalibus.*

*a De medici purgãtibus.*

Hoc præcipitationis fundamento, factus est clauus aureus Magni Ducis, quem Ferdinandus Primus, P. M. hoc testimonio, quod cum clauo Florentiæ spectatur, ornauit.

*Clauus aureus.*

*D. Leonardus Turneisser, clauum ferreum, me præsente ac vidente igne calefacto, ac oleo immisso, in aurum conuertit.* Romæ die 20. Nouemb. post prandium.

Huiusmodi

Huiuſmodi clauos, aliquoties ludendo, propriâ manu parauimus; qui verò metalla tractãnt vulgari modo, illis videtur impoſſibilis ferri & auri conglutinatio, adeòq; credunt pro certò hunc clauum verè ex ferro in aurum tranſmutatum eſſe: huius opinionis cauſam confirmat, quod aurum ferro non adhæret, imò aurum liquatum, illud in momento corrodit & in rubiginem vertit *a*. Connectitur autem aurum ferro, per præcipitationis medium, vt dixi, nimirum eo fundamento, quo ferrum cuptum præcipitar. Seca igitur clauum ferreum in duas partes, extremitatem humecta, ſaltem cum ſaliua, & ſtatim tange hanc partem cum vitriolo cupreo, & in ipſo puncto ferri extremitas rubeſcit, & iam acquiſiuit cupri naturam; *b* cupro autem aurum facillimè aſſociatur: adeoq; huic cupreo ferro adapta cuſpidem, factam ex auro, cumque borrace, & aurea

a *Sicut ſulphur commune; Sic aurum, ferrum in rubiginem cõuertit.*

b *Impoſſibile eſt trãſitus de extremo ad extremum ſine medio. Teſte phi-*

*lof. 6. physicorum.* *b Auri gluten.*

solidatura ( quæ fit ex cuprea moneta , *c* satius est parum argenti & auri ad oculum liquati ) in carbonem commodo igne, more solito, colliquato , & habebis clauum aureum tantæ famæ. Hunc Turneisserus tinxit ferrugine , quacum aurum abscondit ac Magno Principi ( sine dubio ) manibus tractandum obtulit, qui ita laruatus ,à peritissimo quocunque ferrum iudicabatur, quem igne calefecit, ac in oleum quoddam ( vt ait testimonium ) intinxit, abluitque ferruginem , & aurum apparuit. En artificium, si artificij nomine dignum.

Sed redeamus ad ferrum, quod assumptum per os, liberat ab obstructionibus , à supra dicto excremento obortis, & aperit per accidens , absorpto scilicet coagulatore acido errante, & à natura proscripto; non tamen quod per se, proinde desinat esse constrictiuum : aperit ergo potestate specificâ & appro-

*Ferrum aperit & constringit.*

priatâ, conſtringit verò qualitate ſecundâ.

## *Nux caſſa.*

## CAPVT XXIX.

CVprum quod dixi ab aceto verti in æruginem, hoc ſtillare iubet Reformator. *Memini* inquit a: *me mentionem feciſſe cuiuſdam menſtrui ſecreti; hoc menſtruum quanquam iubebat malignorum, ingratiſſimorumque cuculorum canina inuidia, inter ſecretiora arcanorum ſcrinia detinere, nec tam citò in meridianam lucem emittere; dum tamen omnem vindictam ingratitudinis & odij, vndeundè mihi pro beneficijs iniurioſe illati Deo relinquendum, ſuadet rectè factorum conſcientia, vt bonitati publicæ rem præſtem gratam; ſpiritum pranominatum publici iuris faciam: cui magna remedio-*

a *Appendix fol. 72.*

*Triſtis ſeueritas quidem ineſt in voltu: at verbis nulla fides. Tereat. in Andr:*

*rum pars, tanquam columnæ non exiguæ innitetur.*

Quid nunc docet Regius noster Doctor? *Spiritum veneris, & menstruum secretum!* (Risum tenete amici) quod propter indignos detinere decreuerat. Vah impolita ruditas! sed quis vnquam in hoc viro, tantam liberalitatem totque beneficia pro publico bono quæsiuisset, nisi ipse se manifestasset?

*O curas hominum, ô quantum est*
*in rebus inane!*

Centum & plures anni sunt elapsi, cum Basilius Valentinus hanc aceti distillationem in vulgus edidit (in libello quem vocat, *Manuductio Medicinæ*, idiomate Germanico, & rursus impresso *Francofurti, apud Lucam Iennis. Anno 1625.* in 4.) sub hocce titulo: *Vera perlarum solutio.* Reformator hunc à Basilio sibi mutuauit, suppresso Authoris nomine, ibique de verbo ad verbum habetur, & hunc non solum venditat pro

ſoluente vniuerſali; ſed (inſuper fingit ipſius inuentum, ſcribillatque *Spiritus noſter veneris*) & pro LIQVORE ALKAHEST a, adeò vt non ſine fatali prænuntiatione, Iohannes Fredericus Bauz, Reformatoris nomen, digniſſimo Anagrammate, pharmacopœæ præfixit, quod ibidem videri poteſt. Addit autem Reformator, ſine vlla erubeſcentia. *Hic laudatiſſimus ſpiritus, in medicina non ſolum magnarum virium eſt, cum Epilepticis, Apoplecticis, Hiſtericis, Hypochondriacis ſummè opitulatur, legitimè ac debitè exhibitus* b, *verum etiam tanquam LIQVOR ALKAHEST ſe habet, & non vt reliqui ſpiritus acidi, qui ſoluendo patiuntur, & deſtruuntur, inque aliud ens conuertuntur* &c.

Vtinam Baſilius, cùm diſtillare docebat hoc acetum, impoſtores timuiſſet, ſicut Hippocrates, Paracelſus, & reliqui Philoſophi: Reformator hunc,

a *in aqua Epileptica, pharmacop: Regia fol: 170.*

b *ad quid incõcinnas, ſũptuoſas, laborioſas, & nauſeoſas Regias compoſitiones, ſi accerum, omnibus gratũ, hæc perficiẽ*

pro liquore Alcaheſt, non venditaſſet; imò nec tot encomijs illum decantaſſet, neque etiam mundo tam fraudulenter impoſuiſſet. Hoc acetum quouis prętio redimendum ſuadet, additque hæc magnifica verba, quæ præterea, alto notabis calculo ſcilicet. *Hoc lector amice fruere ſecreto*, inquit, *& fauore mei, pro fidelium communicatione, beneuole perſeuera.* Proh Iupiter! huc adeſte, perſcrutatores acerrimi, vobis illuſtratum eſt ſecretum, nuſquam ab aliquo ſcriptis mandatum. Sed ridet natura! pro veritate nunc pudenda commenta docere! nonnulli ſunt, qui ſine magno labore, tempore & ſumptu, ſimilem & potentiorem liquorem, ex aceti matre in magnum vas recipiens, diſtillant, quem tamen pro Alcaheſt non proclamant.

*Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.*

Videamus nunc ſubiectum, ex quo Reformator mirabile ſoluens diſtillat, quod immeritò iure ſibi appropriat, appellatque

hoc nomine, *Spiritus noſter veneris.*

Illud eſt ærugo, vel æs viride, quod ſic fit: Cupri laminæ, cum vinaceis iam aceſcentibus conduntur; hæc aciditas, rodendo cuprum, cum eo coagulatur in ſal; ſicut omni acido, rodendo contingit, vt de plumbo & corallis ad oculum demonſtraui. Iſtud ſal viride, cum Aceto diſtillato mundificat Reformator; inde ſane nihil aliud, quàm acetum extillare poteſt, vt Baſilius candidè fatetur ſupra citato loco. Sicut etiam ſpiritui vitrioli euenit rodendo cuprum, tunc fit vitriolum; quod ſi diſtillatur, nihil aliud niſi idem vitrioli ſpiritus, ſeu ſtagma quod affudiſti, elicies; iuxta illud: *nemo dat quod non habet.* Remanens caput mortuum, vel fæces, funde in tigillo, addito pauxillum nitri & tartari; tunc redit cuprum, quod fuit, priuſquam cum aceto in viride æs mutatum eſſet.

*Axioma philoſophicum.*

En secreta & arcana materia, quam Reformator superfluâ liberalitate, pro bono publico communicare voluit, & *quouis pretio redimendum suadet. Hoc secreto* inquiens *fruere lector amice* &c. Apage, his cum imposturis, quas vulgus ridet, ijsque fidem non adhibet; quia nouit secreta non esse detegenda, nisi in parabolis, allegorijs, metaphoris, inuolucris & similibus figuris. Sic iussit fecitque Hippocrates & veneranda antiquitas: *in auribus insipientum ne loquaris*, inquit sapiens, *quia despicient doctrinam eloquij tui.* Sic Ioan. Picus Mirand. libro de dignitate hominis. Sic Pythagoras, Plato, Boetius, Macrobius in somnio Scipionis, Cornelius Tacitus &c. omnes vnico ore committunt secreta non esse detegenda, eò vt dignè impediantur indigni.

*Arcana publicata vilescunt.*

Sed age! nonnè minori cum labore & dispendio, vti licet aceto simpliciter distillato, cum

ſit vna eademque res ? nonnè Tirocinij ſcriptores, ſal perlarum & corallorum præparare docent cum aceto diſtillato, & poſteà abluere ? quæ tamen inutiliter habentur, quippe acida nimirum coagulantur cum ſoluto, vt ſupra aliquoties oſtendi. Sed vt paucis in ſummam contraham. Acetum & *Spiritus veneris* Reformatoris, non ſunt niſi aqua impregnata ſale acido volatili; & ſi illud quicquam rodit, coagulatur confeſtim: quod poſtea per combuſtionem, fixatur in alcali.

Qualem prærogatiuam habet nunc magiſterium corallorum & perlarum Reformatoris præ alijs, quæ Tyrocinia ponunt ? id docet ſpiritus vitrioli vel ſulphuris, qui præcipitat vtrumque: cuius ratio eſt, quod potentior aciditas apprehendit ſolutum, & in illo coagulum ſuſcipit, & ob id etiam pondere creſcit: exinde enim repetere non licet, niſi violento igne.

Siccine *Deo, proximo, & veritati* ſatisfacit Reformator, vt peierat in animaduerſionibus, a? Hæccine *ſunt adinuentiones ex vera ratione & experientia* b *conſcriptæ, nemini tamen adhuc viſæ, vel animaduerſæ, ad ſolatium generis humani!* vt ait in præfatione Appendicis. Itanè fallendus & deludendus Hærus? cui promittit in dedicatoria, quod ignorat; *genuinam* ſcilicet *componendorum medicamentorum methodum, & vſitatam ab erroribus mundare, ne populus in æris diſpendium & valetudinis ſæpè ſæpius præcipitatur, vt hac in parte & ſubditi fælicius viuant:* Venditare ſcilicet acetum pro Alcaheſt? Hæccine ſunt illa, *quæ omiſſis negocijs neceſſarijs in vulgus cum tanto labore* a *profecta ſunt?* vt loquitur epilogus.

Sed Reformator, aceto ſuo ebrius, non ceſſat miranda cantare; *Spiritus noſter veneris,* inquit, b *extrahit ex chalibis li-*

a *Cicero pro Rabirio poſth hæc 21. vbi ſemel quis peierauerit, ei credere poſtea non oportet.*

*Experimentum eſt fallax, cuius notitia non præceſſerit. Bernard. ad Thomam.*

a *chi dice il vero non s'affatica, & mi marauiglio del tuo ſudare! diſſe Dante.*

b *in Appēdice fol. 83.*

*matura adſtringentem tincturam.* Hem quid audio; noua res! quaſi omne acetum cum ferro limato non rubeſceret? Fabris ferrareis id notiſſimum. In mantiſſa Hermetica *c* paulo ante docet, quod *crocus adſtringens ſolâ reuerberatione, nullâ aliâ re admiſtâ, exactiſſime præparari poteſt*; Nunc vt aceto fides adhibeatur, concedit vtrumque. Quid iſtud eſt aliud, quam impertinenter & ignoranter nugari? imò docere, ſalis & aceti contrarietates, & vtrumque non cognoſci.

*c fol. 791.*

*Acetum cum ferri limatura rubeſcit, ſpiritus autem vitrioli coagulatur cum ea in vitriolum.*

****************

*Exitus acta probat.*

## CAPVT XXX. & Vltimum.

SCiendi deſiderio pharmacopæam Regiam à Reformatore ingenti glorioläe pruritu conſcriptam, multiſque abſurditatibus repletam, euolui. Pro-

mittit Regibus, *sulphur vitrioli narcoticum*, sub titulo *laudani*, a sed de hoc verè dici potest: Rex euasit fati ope, & non vitrioli sulphure narcotico, qui nullibi in toto receptariorum libro reperitur.

a fol. 849.

Sic etiam Reginis, promittit ludum præparatum, ad generandum lac, quem nunquam vidit aut agnouit; hinc vulgo in prouerbium cessit: *Mentiris vt Medicus.* Hoc eius sulphur, illiusque ludus præparatus patriam non mutant, neque trans mare currunt: Dulce illis natale solum; vbi nata sunt, in cerebro scilicet Reformatoris, ibi perpetuò hærent.

Sic habet in sumptuosissima Appendice Regiæ pharmacopœæ, cum splendido apparatu, scilicet: non lego Rege digna, in omnibus ferè compositionibus, nisi *Magisterium nostrum solubile*: quæ vani ostentatio, ipsa Heraclito risum mouere deberet; quod tamen nihil aliud, nisi

nisi perlæ & coralli cum aceto corrosi, vt cuilibet pharmaceutices Tyroni satis notum est. Ipsus autem deridet, & cachinno excipit, *Scriptorum longa recepta*, a. Sed quis vnquam vidit aut legit long'ora, quam in appendice ad pharmacopœam Regiam? quis inconcinniora? exemplum sit compositum illud, quod specioso titulo, *Pilulæ Regiæ*, vocat, *b*, vbi sane opium, omnes effectus quos promittit, solum edit: ad quid ergo aurum corrosum? cuius simplicis nulla est cognatio cum opio, columna pilularum. De his canit Homerus:

a *In Appendice ad Animaduersiones fol.* 55.

b *Fol.* 123.

*Pharmaca mixta, salubria multa & noxia multa.*

Profectò congressiones simplicium, ad ignari lubitum factæ, Reges infatuant & exanimant, *occasioque medendi* a *in momento labilis, incertis coniecturis præterire facit.* Vnicum hoc addo: Receptarum combinatores, tanquam sortilegos,

a *Hipp.* 1. *Aph.* 1.

consulo fugiendos & propellendos, qui in suis prodigiosis compositionibus, de malis nostris negotiantur, & super vitam nostram mittunt sortes: Impossibile est, inquam, vel saltem admodum difficile, vt de sola vtrica ostendi, aliquid certi statuere posse, nisi solâ opinione & coniecturâ. Quotiescunque autem singulæ res intentum non habent, tunc nimirum compositione indigent, vt de potionibus vulnerarijs, deque tincturis & atramentis luculenter demonstraui; & adhuc vnico exemplo ostendam. Sint saluiæ succi p. ij, vitrioli martis p. j; hi ambo commisti, subito nigricant: Alcali enim occultum saluiæ, vitrioli acidum absorbet. Post horam acidum, quatenus minerale, superat debile alcali vegetabilis, & compositum viridescit: cui adde adhuc tres partes vitrioli, tunc non induit nigrum colorem, ( vt ratio suadet ) sed alcali absumit tunc, ac subtile

*Vnica materia non potest simul duas species habere: quod à nostris attente notandũ.*

ſaltem acidum & vitriolum in ocram vertit; ſicut ei contingit, quandò ſpiritus paulatim deficiunt: verum, quò digredior? quandoquidem ſciam ferendum eſſe, quod mutari nequit.

Reformator tamen aſſiduè a huiuſmodi compoſita cum ſuauitate commendat: *fælices ſanè eſſent Medici & ægroti*, inquit, *ſi ſimilia medicamenta illis ſuppeterent, quæ verè REGIA ſunt, & tam exiguo prætio, vt etiam in pauperum vſus diſpenſari*, &c.

a In Appendice. fol 280.

Ad vos nunc me conuerto, ingenui Pharmacopœi, calculum ſaltem faciatis & iudicetis, non quidem plurimorum inutilium laborum & compoſitionum, quæ ſi omnes in promptu eſſe deberent, vix tota Auguſtanorum Ciuitas eis capiendis ſufficeret! ſed ſaltem, pro huius aceti diſtillatione ex ærugine, corallia erodenda: vt ſi vaſa, inſtrumenta, artiſque requiſita, cum tempore ſupputetis; vbi-

nam reperitur pauper ( vt ait ) huiuſmodi ſumptus faciens? Sin verò exiguo prætio, hæc & ſimilia artificiata diſpenſabitis!

*Tunc labor in damno eſt creſcitq; mortalis egeſtas.*

Sed ſi craſſis vaniſque opinionibus à Reformatore hinc indè commiſſis, diutius immorari vellem, numerus dicendorum nimis creſceret; quod ex primo ſyrupo *a* manifeſtum fiet: hic, vt & reliqui, fuêre ab antiquitate inuenti, vt cuique indiuiduo propinari poſſent, & etiam ad promptitudinem, & compendium officinæ: ſed cum perquam plurimi, odores præſertim ſpicæ, ægrè concoquant, & ſine ſtomachi ſubuerſione & eructatione non perferant, imò digeſtioni reluctantur, vt apparet in cibis aromate conditis, qui ſtomachi fermentum peſſundant: hinc ſimplicem cibum, vt ſaluberrimum, laudarunt veteres *b*. Hanc ob cauſam etiam pro hoc ſyrupo, Abſinthium

*a Syr. de Abſinthio pharm. fol. 17.*

*b Homini cibus vtiliſsimus ſimplex: aceruatio ſaporum peſtifera. Plin. lib. 11. c. 53. 5.*

ponticum, vt minus odorum, elegerunt, atque ſimul cum ſpica, in vino veteri coxerunt, vt vnâ cum vini ſpiritu, (cui odor facillimè aſſociatur) penitus abſcederet: quod probat ſucci cydoniorum additio; niſi enim hæc veterum intentio fuiſſet, huius ſyrupi loco, in vſum vocaſſent cydoniten & abſynthiten, vt videre eſt in Dioſcoride *a*: remanens, cum ſaccharo à cano ſitu defendebant, & in ſyrupum inſpiſſabant.

Sic quoque diuerſa vina, ſimul mixta & potata, vt in conuiuijs fieri ſolet, non ſolum Rectori humano (quem ſuprà cap. 15. in ore ventriculi ſedentem ex Hipp. *b* oſtendi) magnum laborem & moleſtiam adferunt, pro eorum vnione; ſed inſuper inebriant facillime *c*, & vt furioſa, nonnumquam in delicatulis per vomitum reijciuntur: cum vero earumdem vuarum ſucci, multiformes & varij per fermentationem, coniunguntur;

a lib. 5. cap. 49.

b De Morbis.

c Id etiam obſeruauit Giou. Boccatius 7. Nouell. 2. fabula.

tunc ex diuersis rectoribus, fit vnicus salubris & stomachum non lædens potus: quemadmodum ex diuersis simplicibus, per fermentationem covnitis fit Theriaca, cui vnicus rector prædominatur: hinc ab Auicenna magnæ virtutis prædicatur, vt in præfatione notaui.

*Absit quod nesciam rem ignotam in vsus proximi demonstratam carere calumniâ.*

Cum autem instituti mei non sit hîc, vt dici solet, lapillum in littore maris ostendere, vbi numerum infinitum esse constat, præcipuè cum hoc scribendi genus, naturæ & genio repugnet: me tædet nugis diutiùs immorari, quapropter calamum iam repono.

Ecce rem; cum hac in scenam prodijt Reformator, priusquam Naturam in omni re similem agnouit.

*In acido habitat specificus Rector, qui informat alcali.*

Nunc nostris, pro corollario, tria verba in aurem; acidum informat alcali. His, vetustissimę medicinæ, & nouissimi salis viperini antiquissima fundamenta (si me intellexistis) absolutâ

concordantiâ, ſimilitudine perpetuâ, & immutabili, ex naturæ decreto & Hippocrate meo, armonicâ & mechanica ratione, ſummâ neceſſitate, inter ſe conuenire debere oſtendi.

Hunc naturæ, & artis conſenſum, cùm olim fictus noſter amicus, ab exemplis capere, neque percipere potuiſſet, inſurgit, & inſtar canis rabioſi inuadit, mordet, calumniatur, ſeſeque alijs longè anteponit, vt per totum eius ſcriptum apparet: ſic quælibet auis, iuxta modulamen roſtri ſui cantat, ſecundum illud Terentij. *a*, Homini imperito, nunquam quicquam iniuſtius, qui niſi quod ipſe facit, nil rectum putat.

a *In adelf. act. 1. ſc. 2.*

*FINIS.*

# INDEX

Capitum huiusce libellj.

¶

# INDEX RERUM
## *memorabilium ordine Alphabetico digestus.*

B

C.

F

## H



## L



## M

## O



## P.

S.

T



V

FINIS.

## *Extrait du Privilege du Roy.*

PAR grace & Privilege du Roy, donné à Paris le 18. d'Octobre 1668. Signé par le Roy en son Conseil, DUMOLEY: Il est permis à nostre amé, JEAN D'HOURY Marchand Libraire de nostre bonne ville de Paris, de faire reimprimer, vendre, & debiter un Livre intitulé, *Ottonis Tachenii Hippocrates Chymicus, omnibus quibus scatebat mendis repurgatus, &c.* pendant le temps & espace de sept années: & deffences sont faites à tous autres de l'imprimer, contrefaire, vendre, ou debiter, ny en apporter de dehors, sans la permission dudit exposant, ou de ceux qui auront droit de luy; à peine de trois mille livres d'amande, & de tous depens, dommages & interests: comme il est plus au long porté par lesdites Lettres.

*Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 24. Novembre 16 8.*

Les Exemplalres onr esté fournis.

*Registré sur le Liure de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, suivant & conformement à l'Arrest de la Cour de Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy du 5. Fevrier 1665.*

Signé ANDRE' SOUBRON, Syndic.